RESPONSIO
AD LIBELLVM INSCRIPTVM.

VERA, E SINCERA
RELATIONE DELLE RAGIONI
DEL
DVCA DI PARMA
CONTRA LA PRESENTE OCCVPATIONE
DEL
DVCATO DI CASTRO.

Digitized by Google

Digitized by Google

PROEMIVM.

CVM ſubditorum vtilitati, & commodis proſpicere volentes ſtudio conſeruandi annonam in Vrbe, & vniuerſa ditione Eccleſiaſtica Pius Quartus Conſtitutione 99. vltra Breue ſub datum 30. Decembris 1560. Pontificatus Anno primo, Pius V. 108. Gregorius XIII. 50. Clemens VIII. 49. Paulus V. 12. & Sanctiſſimus D. N. Vrbanus VIII. 28. per viam legis vniuerſalis reuocauerint omnes & ſingulas licentias & facultates extrahendi frumenta, & alia ad annonam, & graſciam pertinentia ex quibuſcumque locis quomodolibet illi mediatè, vel immediatè ſubiectis, etiam in vim contractus, & conſiſtorialiter cõceſſas, confirmatas, & innouatas Ducibus, & alijs perſonis cuiuſcumque dignitatis, ſtatus, gradus, ordinis, præeminentiæ, vel conditionis ex quauis cauſa quantumuis rationabili, iuridica priuilegiata, & oneroſa, excepta dumtaxat ea, quæ verè oneroſa eſſet ex congrua ſolutione, & exburſatione pecuniarum, Addito quod omnes iſtam allegãtes, & prætendentes, prius quàm de cætero vti poſſint huiuſmodi facultatibus, & licentijs, eas verificare deberent in Camera Apoſtolica, citato eiuſdem Commiſſario generali, niſi pro talibus alias verificatæ, examinatæ, & admiſſæ fuiſſent. Quodue omnia Iudicis auctoritate ſequuta poſt priores reuocatorias eſſent abrogata, nullaque extractio deinceps fieri poſſet, etiam ex vigore facultatum ex dicta cauſa oneroſa tributarum ſine Chirographo ſignato manu Romani Pontificis; Cardinalis Antonius S. R. E. Camerarius, audito, quod nihilominus abſque illo fieret ex ora maritima Montisalti, alijſq; locis Status Caſtri, de mandato Sanctiſſimi, qui de re Viros electos diligentèr prius conſuluit, auctoritate ſui Camerariatus officij, cui in §. 5. dictæ Conſtitutionis 99. Pij Quarti addita fuit ſpecialis cura publicandi, & notificandi vbi opus fuerit huiuſmodi reuocationes, die 20. Martij 1641. publico Edicto ſingulis in memoriã redegit obſeruantiam nouiſſimarum Conſtitutionum Pauli V. & Sãctiſsimi, quæ priores confirmant, & ampliant, Duci verò Caſtri reuocationem ſuarum facultatum, edixitque, ne quiſquam frumentum, & alia pertinentia ad annonam inde, etiam pro vſu proprio, per mare, vel terram exportaret, aut exportari faceret extra Statum Eccleſiæ ſine Chirographo Summi Pontificis iuxta dictas Conſtitutiones.

Cumque ex parte Odoardi Farneſij olim Ducis Caſtri ceſſatum fuiſſet in exſoluendis fructibus Montium Plani Abbatiæ, & Farneſij primæ, & ſecundæ erectionis, implendiſque legibus conuenctionum, quæ in ſingulorum erectione præſcriptæ fuerunt ſub fide publica, & tàm ab ipſo, quàm Raynutio eius patre firmatę vinculo obligationis Cameralis, & iruis iurandi Sacramento, Nec extraiudicialibus monitis quicquam aſſequi potuiſſet ab eius Miniſtris ſtudentibus ſoli tarditati, & procraſtinationi odiosæ in rebus agendis, Commiſſarius Cameræ Apoſtolicæ coactus fuit ex munere ſibi iniuncto per Conſtitutionem Pauli V. ſuper deputatione Congregationis adeò moroſam tàm grauis negotij ſubſtentationem terminare, remque in iudicium deducere, & in conſeſſu, ac cætu Præpoſitorum regimini Montium, ac executioni mandatorum aduerſus Barones ex reſcripto Pontificio in vnum coacto penes Cardinalem Camerarium eis Præſidentem, contra dictum Odoardum agere lege Cõſtitutionum 41. Clementis VIII. ſub §. 8. & Pauli V. ſuper deputatione

Congregationis Montium (quibus ſpeciatim cauetur, vt ſi Duces, & Principes pacta in erectionibus ſuorum Montium appoſita, & conuenta non adimplerent, vel non obſeruarent in toto, vel in parte, cogerentur ad eorum integram extinctionem, etiamſi dies illius minimè aduenisset) ſummoque iure hoc proſequi vſque ad mandatorum decreta ſub die 4. & 25. Septembris.

At illo confugiente ad Arma, & Militibus, Annona, propugnaculis, ac Vallis muniente, & obfirmante Caſtrum Montemaltum, & Pontem Abbatiæ, vt præfati iudicij finem eluderet, & apparitores acceſſuros ad exequendum iuſſa dictę Congregationis militari manu exciperet, quaſi vocatus ex iure manu conſertum, poſſet vocantem reuocare, & vindicias contra eum latas ferro vindicare, Pontificia maieſtas, & ſupremi Domini auctoritas niſa eſt prius tam mali conſilij radices euellere præceptis, & monitis, mox quia à propoſito ſemel ſuſcepto non declinauit, nec in meliorem ſententiam deflexit, ſed viribus adauctis noua in dies moliebatur; Satiùs duxit eumdem ad ſe excuſandum vocare, & detrectantem ſiſtere coram Iudice ex ſacra iuſſione dato, nec ſe ab obiectis criminibus expurgantem, Maieſtatis, & perduellionis nomine damnare, ac ſacris interdictum, cauſâ ritè iudicatâ euulgare.

Cæterùm quamuis res adeò perſpicua ſit, nihilominus Author libelli ſtudioſè compoſiti, & in tres partes diuiſi. Primam loquentem de tractis; Alteram de iudicio ciuili pro Montiſtis; Tertiam de criminali, & ſententia in eo lata ab Auditore Cameræ contra dictũ Odoardum, fallaci ſcripto conatus eſt tenebras offundere clariſſimo veritatis lumini, & obſcurâ caligine narrationis ſuo arbitrio confictæ, legentium animos inuoluere, pluribus ex induſtria omiſſis, alijs ex ementita opinione deductis, & pleriſquè contrà humanum ſenſum contortis; Vt cauſæ labefactatæ, ne dùm ruenti, fulcimenti ſpecimen ex fallacijs adhiberet, & ſuppreſſo nomine ſub eis deliteſceret: Imò vt in ipſa fronte ſub velamento fucatæ veritatis fidem ſibi quereret, præpoſuit Titulum veræ, & ſinceræ relationis.

Sed quia tunc demùm relationibus plena veritas ineſt, cum in eis ſuppoſita alterius partis conſenſu probantur, nec contrarijs allegationibus repelluntur 1. non firmanda eſt ſolâ Tituli adſeueratione, quia non mutatur per noſtrum affirmare vel negare 2 cum in publicas aures lucemque deducenda ſit, 3 vel ex probationibus euidentibus, 4 vel ex liquidis argumentis, 5. quibus profectò caret totus contextus dicti libelli, non ſincerè, nempè bona fide 6 exaratus, cum in ipſo veſtibulo, proluſionis loco aſſeueret Orbi notas eſſe offenſiones, quas inquit Ducem Parmæ accepiſſe Romæ à Cardinalibus fratribus Barberinis, addiditque eò perueniſſe, vt illi denegauerint honores, quos Principes eius prædeceſſores ſemper exceperunt à Nepotibus Summorum Pontificum: At certè omnium animi offenduntur, dum in primo actu, ſub veri Imagine proditur vti notorium Orbi, quod ipſa Roma, vbi res dicitur acta, etiam intimorum ſenſuum ſolertiſſima indagatrix, non modò ſibi ignotum aſſerit, ſed etiam teſtis oculata refellit, vt meritò præferenda ſit cæteris hauritis, qui aliter ſenſiſſe contenderent; Et tamen certo certius eſt, non poſſe probari notorium eſſe, ſi non probatur factum eſſe 7 Imò contrarium euincit inſpectio cauſæ, cui præaſſertæ offenſiones tribuũtur, quod ſcilicet Duci non fuerint exhibiti honores eius prædeceſſoribus impertiti.

1. Vt Valentinianus, & Valens reſcripſerunt ad Vincentiũ Præfectũ Prætorio in l. 2. C. de relat.
2. L. aſſumptio 6. ff. ad municip.
3. Vt monẽt Imperatores in l. nulli 28. in fin. C. de Epiſc. & Cler.
4. Ad text. in l. ſi ſolemnibus 7. C. de fid. inſtrum.
5. L. 2. in fin. C. de in lit. iuran.
6. Vt talis vox accipitur in l. & qui ſub Imagine 10. ſub fin. C. de diſtract. pign. & in c. Sanctorum de præſcript.
7. Bald. in l. ca quidẽ 7. nu. 45. C. de accuſat.

Nam ſi deſiderantur in acceſſu ad Vrbem, iſte quidem honorificentiſſimus

fuit

Digitized by Google

fuit etiã ſupra metas ſoliti, miſſo ad eum, in Oppido Caprarolæ ſua tunc ditione degentem, maiori Domus Pontificiæ Prefecto, qui Palatinis curribus, ac commeatu illum, quàm ſplendidè fieri poſſet, Romam, in Quirinalis Palatij Aedibus publico Summi Pontificis nomine excipiendum deduceret, eaque ſolùm dimiſſa fuere, quæ ipſemet, volens ſub incogniti ſpecie Vrbem ingredi, per ſuos adminiſtros voce, & ſcripto prius ſignificauit, nè fierent, & re ipſa poſteà in itinere comprobauit, ægrè ferendo officioſas occurſationes, adeout, paucorum obſequijs admiſſis, reliqua vt moleſta, vel neglexerit, vel concitato curſu anteuerterit.

Si verò dum Romæ permanſit, maiorem vtique honorum acceſſionem promeruit à Summi Pontificis generoſitate, quàm eius Prædeceſſoribus vnquã præſtita fuerit, dum in Palatio Quirinali sẽper voluit illi, eiuſque familiæ præſto eſſe manſiones, ac Ius hoſpitij, quo ſemel exceperat, & familiarẽ ad ſe per eas aditum patere, licèt ad proprias Edes per aliquod tempus ſeceſſerit, vt commodius ibi priuata eius Domus negocia pertractaret, ac publicè etiam ad Epulas ſecum admiſit, ſingulari quidem ſuæ benignitatis exemplo. In eo pariter cumulatiùs pertractando ſtuduerũt Cardinales Barberini, tàm in primis, & ſucceſſiuis viſitationibus per vrbem, ac extra, quàm in conuiuijs, ceteriſque alijs humanitatis officijs.

In diſceſſu autem, cum fugere viſus ſit omnem ſpeciem Officij, eum quam celerrimè parando è ſuis Aedibus priuatis, non autem à loco publici hoſpitij in Vaticano, nec dictis Cardinalibus prius de more viſis, nulla profectò ſubeſt occaſio conquerendi de honoribus ſibi negatis, & ab alijs Summorum Pontificum Nepotibus tributis, vt dicitur, eius maioribus, dum peruerſo receſſus ordine, illam facto remiſit, ab eaque ſubſtulit opportunitatem faciendi ex parte dictorum Cardinalium, quod eorum humanitas intra dignitatis limites fieri ſuaſiſſet: Quamquam nõ benè ſupponatur Duci abeunti denegatos fuiſſe honores ab eius Prædeceſſoribus receptos: ſi enim Octauius, Alexander, & Raynutius pluriès ſub patentis, nõ latentis imagine Vrbem adierint, nunquam tamen in diſceſſu fuerunt aſſociati à Cardinalibus Nepotibus Sũmorum Pontificum, nec ipſe Raynutius, poſt matrimonium contractum, ab Affine Aldobrandino; adeout neque affinitatis vinculum hoc à res publicas adminiſtrante potuerit euincere.

Euersâ itaque baſi aſſertæ inimicitiæ, quam Author libelli prætexit cum dictis Cardinalibus, vt in eis fingeret animum calumniandi Ducem penes Summum Pontificem, & omnia mala ei parandi, fruſtra inimicitiæ nomen denunciatur his, à quibus nulla iniuria accepta fuit, ſed potius commodum quam maximũ; Nam Cardinalis Barberinus noui montis gratiam, nulli ità antea conceſſam, à Summo Pontifice Duci ſuis precibus impetrauit, ſuaque auctoritate facilem penes Cameræ adminiſtros effecit, qua nõ modò à grauioribus vſuris penitùs eximere ſe potuit, ſed lucrũ etiam aureorum 220. mille è foro Romano in ſui vtilitatem eraſit: quæ, officioſæ amicitiæ ſigna certiſſima ſunt, non cauſæ iniurioſæ inimicitiæ. Continuati verò amoris, & obſequij ſpecimen in Cardinalem Antoniũ ipſemet Dux etiam in receſsu apertè exhibuit, dum euocato ad ſe viro primario de illius aula, humaniſsimè eundem rogauit, vt renunciaret Domino quam probè illius voluntatem, ac ſtudium in ſe exploratum haberet, quàmue viciſſim in dies eidem adſtrictior, ac beneuolentior futurus eſset: Iſta enim verba fig-

 men-

Digitized by Google

mentum aſſertæ inimicitiæ prorſus eliminant, fidemque penitus adimunt Authori, quatenus ſubnectit dictos fratres Barberinos Raynutio Monguido prçcluſiſſe aditum ad Summum Pontificem, (qui poſt Ducis receſsũ ab Vrbe ſtatis diebus ſemper patuit Carandino, & Zũthio, vt publicis eius miniſtris) praué ſupponendo Præfectum cubiculo Pontificio reſpondiſse. *Che non voleua fare imbaſciata per lui*, cum ſolum eius famulo exponenti mandatũ Domini cum Titulo Secretarij, & audientiam petenti die veneris, vel Sabbati reſponſum dederit. *Che ſe era Segretario non poteua darli audienza ne ſudetti giorni, ma che ſe era Reſidente poteua venire*, nec ſine liuore detorquendo certum ſenſum verborum, quæ refert vti reſponſum dicti Præfecti: Nam rectè pro munere ſui officij denegaſset renunciare Sanctiſſimo acceſsum Monguidi parum ſcitè poſtulantis ſe admitti die præſcripta audientiæ Oratorum, & publico reſidentium munere fungentiũ pro ſuis Principibus penes Sedem Apoſtolicam, dum eiuſmodi perſonam non gerebat, & à Secretis addictus fuerat Labadino, quẽ Dux ad reſidendum pro ſe Romæ deſignauerat, vt Zunthius, Summi Pontificis beneficentiâ donatus Epiſcopatu Caſtrenſi, in ſuo receſsu ab Vrbe aſſeruerat; Vnde non poteſt ex denegata illius admiſſione cum gerentibus publicam perſonam ſincerè argui omnimoda excluſio ab ea, quæ alijs diebus ſolet humaniſſimè impertiri, nec verè aſſeri prçcluſum fuiſse Duci omnem aditũ, ne ipſius querelæ poſsent peruenire ad Summum Põtificem, quaſi hoc penderet ex ſola intromiſsione Monguidi, vt Secretarij, inter Reſidentes, nec idem commodè aſsequi poſset vel mutuà aliorum operâ, vel ipſius Monguidi voce, ſi perpenſa conditione ſuæ perſonæ poſtulaſset admitti, quando Summus Pontifex ſedet auditurus omnium quçrelas, & preces: Fruſtra ergò Cardinalibus Barberinis impingitur cauſa dictæ reiectionis, cuius Ducis Adminiſtri fabri fuerunt, & aſſertæ impenetrabilitatis ex voluntaria occluſione vnius viç, dum reliquç patebant, & illa quoque facilè recludi poterat, opportunâ miſsione dicti Labadini cum Titulo Reſidentis.

Perperàm quoque eis tribuitur, quod ſtatim deflexerint animum ad Ducis ruinam vndequaque curandá, quaſi ignotũ ſit Orbi, qua conſtantia curauerint eius dignitatem, ac ditionem ſarctam, tectáq. ſeruare, & à grauiori caſu, vel ipſo inuito, liberare, nec quiſque in dies experiatur eorum Animos nullâ maleuolentiâ ſuffuſos eſſe, & in alijs ſubleuandis non opprimendis ſumma ingenuitate eniti. Et hinc etiam malè ſubditur Cardinalem Antonium táquam Camerarium publicaſſe Edictum Duci, redigendo in memoriam reuocationem facultatum extrahendi, vt res illius perderet, nam vera huius Edicti cauſa referenda eſt ad dictas reuocationes Summorum Pontificum etiam ab ipſius Ducis màioribus agnitas, cum non ſubſtulerit tractas, quas Author inquit Duci liberè debitas fuiſſe ex eius inueſtituris, ſed iure toties publica lege ſublatas denunciauerit, nec Cardinalis Antonius illud propoſuerit tanquam inuentum ſuæ auctoritatis, ſed vti merus executor dictarum Conſtitutionum reduxerit in memoriam, & palàm exhibuerit, quod in eis ſtabili decreto prius cautum legebatur; compertum quippe eſt actum tribui ordinanti nõ exequenti. 8. Nec veritas patitur, ſtare dictum aſſumptum, quod huiuſmodi tractæ Duci liberrimè deberentur, quodue eius Domus à die Inueſtiturarũ ſemper fuerit in illarum poſſeſſione, cum vtrumque in facto proſternatur, vt clariſſimè patebit ex reſponſione ad primam partem.

8. l. Item eorũ 6. §. ſi Decuriones, ff. quod cuiuſque Vniuerſitatis nomine l. ſi hæres teſtamẽto 5. ff. de act. empt.

Quod-

Digitized by Google

Quod ue ſubnectitur Siros, qui huiuſmodi Statum à Duce conduxerant pro annuis ſcutis 90. mille, ſuburnatos fuiſſe, vt etiam vnius obuli ſolutionem negauerint, proculdubio cogit exclamare cum Eſaia. 9. Poſuerunt mendacium ſpem ſuam, & mendacio operiri ſperauerunt, nam cum minimè Dux, ſicut tenebatur, curaſſet Siros aſſertos cōductores dicti Status certa pactione obſtringi erga Grillum, & Martellum, quos elegerat in nouos Depoſitarios ſuorum Mōtium, de illis ſoluendo annuas penſiones, nec minus ſummam æquiualentem fructibus bimeſtruatim debitis ſingulis Montiſtis: Ac illi vulgo profiterentur nihil Duci ſe debere nomine dictæ cōductionis ab eo nunquam impletæ; Imò dicerent eſſe illius Creditores, ſi rationibus dati, & accepti in inuicem collatis, ac ritè diſpunctis, & ſubductis iuſtus inter eos calculus iniretur; Cumque ideò publica ſpes inde conſequendi fructus dictorum Montium magis ac magis in dies fruſtraretur, nec Miniſtri Ducis contra eos voluerint in Iudicio experiri, vt res in aperto poneretur, toties oblatum libramentum iuſtitiæ ſubire recuſando, & pluries moniti à Cameræ Apoſtolicę Cōmiſſario, vt opportunè conſulerent, ac Ducis obligationes implerent, moroſi quidquam agere noluerint; ſed vna ex parte diffidentes in forum deſcendere cū Siris, ne veritate per Calculatores patefacta deſinerent etiam poſſe nomen crediti vſurpare; Ex altera verò cunctantes explere debitum lege conuentionum erga Montiſtas, vtique ipſi tam peruicaci repugnantia quoad experimentum Iuſtitiæ inſtruxerunt Siros ad conſtantiſſimè negandum, ſe alicuius reliqui debitores eſſe, quod dictis fructibus exſoluēdis poſſet inſeruire, adeout opus non fuerit alijs inſtructoribus, Parique cunctatione, vel inuitos traxerunt Præpoſitos Regimini Montium, vt aſſiduis Montiſtarum quærelis proſpicerent, & cōmunem publici commercij cauſam, quàm maximè fieri poſſet, integram pro ſui muneris cura ſeruarent.

9\. Capite 28. relato per Io. in Epiſtola ad Iuſtinianum de qua in l. finali, C. de Summa Trinit. & fide Cathol. ſub verſ. liquet igitur ante medium.

Rectè igitur, prçuio reſcripto Sanctiſſimi, in ius vocarunt Ducem, vt impleuiſſe doceret leges ſibi præſcriptas in literis erectionum dictorum montium, & paterna, ac propria obligatione firmatas, & extinguendo Montes, ſolueret publicæ fidei oppignorationem, quia illas minimè curauerat implere. Sicque corruit parum ſincera conquęſtio, quod ex mora ſoluendi fructus dictorum Montium, contra Ius fuerit arrepta anſa cogendi Ducem ad illos extinguendos, etiamſi non teneretur, & Creditores nollent ſortem recipere. Nam Ius conuentionale per ipſum non adimpletum demonſtrat legitimè cum eo actum fuiſſe de extinguendis locis Montium, vt latiùs deducetur in reſponſione ad ſecundam partem, nec Creditores declinarunt accipere ſortem ab eorum ſingulis in emptione ſolutam, ſed cum diminutione ad ſcuta centum pro quolibet loco Montis.

Verū quia Dux interim noſcens haud poſſe in foro ſuam cauſam intra Iuſtitiæ limites tueri, obfirmato ad repugnandū Animo, eam intra munitionum ſepta, ac valla, in ipſamet ditione oppignorata pro dote Mōtium Armis tuendam committere ſtuduit, ac ideò ante Kalendas Auguſti frumentum omne iuſſit Caſtrum importari, populares ſubditos, pedites, ac Equites, quàm ociſſimè armari, & in vnum contrahi, eiſque exteros addi, noua præſidia locari, inſuetas munitiones, & propugnacula erigi, Delphino Angelerio ſingulis Præpoſito. Quod cum Romæ fuerit delatū iuſtè primo prouiſum eſt, ne abduceretur frumentum, quod nō erat Ducis; Deinceps verò Auditor Cameræ,

meræ, in executionem Breuis Sanctiſſimi ſub die 17. eiuſdem menſis Auguſti, eundem monuit ex ſcripto die 21. executo contra Monguidum die 24. ac publicè de more affixo Romæ, Bononiæ, & Placentiæ diebus 25:26. & 27. vt Milites collectos dimitteret, nouaſq. propugnationes, ac munimenta dirueret, perduellionis, & maioris excommunicationis pœnâ, ni intra triginta dies paruiſſet, indictâ. Et quia Dux adhuc detrectabat Imperia, Imò in copijs augendis, & bellici apparatu inſtruendo vehementius ſtudebat, re prius coram Summo Pontifice, & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium Conuentu relata, ſummo omniũ conſenſu decretum fuit, armis auxiliaribus iuuandam eſſe executionem Iudicati pro Montiſtis, & comprimendam inobſequẽtem Ducis contumaciam. Quare Pontificijs copijs religioſè admotis pro auxilio Iuſtitiæ ad ditionem Caſtri res ſtrenuè, ac fęliciter ſumma celeritate peracta fuit.

Neque tàm patenti cauſę inſeri poſsũt aliæ longiùs petitæ, vel à commentitia cupiditate, quàm author aſſerit Ducem ex varijs tractatibus agnouiſſe in Barberinis, ſibi acquirendi Ducatum Caſtrenſem, vel neceſſitate ex Inueſtitura ſibi impoſita cuſtodiendi Caſtrum, vel effictо metu, quod fratres Barberini inducerent centum Exules ex his, quos malè dicitur congregaſſe in locis Vrbi finitimis, ac ipſamet Roma; nam Prima fruſtrà obijcitur his, qui oblatam potiundi, cum Principum aſſenſu, maioris ditionis occaſionem conſtantiſſimè reſpuerunt, ipſique Duci ſuas incolumes ſeruarunt; Media futilis eſt, dum ſola Caſtri cuſtodia non exigebat tanti Militis apparatũ, nec Munitiones ibi factæ eò tendere poterant: Extrema verò potiùs malignæ opinionis notam præſefert, quàm ſinceræ veritatis relationem exhibet, dum enixa Vrbani Octaui, ac Nepotum ſtudia in publicâ tranquillitate tuendâ omnibus patent.

Minuſuè erat pro ſincera relatione ſubticendum, quod derogatio facta priuilegijs, quæ Dux prętendere potuiſſet etiam ex contractu, & Inueſtitura conſiſtoriali, non emanauerat ex ſola authoritate Auditoris Cameræ, ſed iuſtè proceſſerat à ſuprema poteſtate Summi Pontificis expreſſa in dicto eius Breue, ne Dux ex illis ſubterfugeret debitum obſequium parendi monitis ſui Principis.

Nec aſſerendum primò, quod Duci non patuerit aditus recurrendi ad Summum Pontificem, dum non liquet vſum fuiſſe modis, quos Curia admittit, nam aſſerta reiectio memorialis porrecti Præfecto, & Prælatis Signaturæ Iuſtitiæ, iuſtiſsima fuit, cum apud omnes pertritum ſit, non reſcribere defectu iuriſdictionis in cauſis pendentibus coram Cardinale Camerario, & delegato per Commiſſionem ſignatam manu Sãctiſsimi, & vtroque caſu recurrendum eſſe ad Signaturam Gratiæ cui præſidet ipſe Pontifex. Secundò, quod Auditori Cameræ fuerit nomine Ducis exhibita proteſtatio, in qua ſub prætextu notoriæ inimicitiæ cũ fratribus Barberinis ipſum, & alios miniſtros Pontificios, tanquàm ab eis dependentes, & ſummam illorùm potentiam timentes, ſuſpectos recuſabat; Nam Cardinalis Raggius tunc Auditor Cameræ publico ſcripto teſtatur, nunquam ſibi talem proteſtationem exhibitam, & lectam fuiſſe, cui propter ſummam dignitatem 10. fides in hoc magis adhibenda eſt, quàm vulgaribus perſonis, ſi contrarium aſſererent. Tertiò, quod motus Armorum, & inuaſio Ducatus Caſtrenſis violenter proceſſerit mandato dictorum Fratrum, quaſi certum non ſit, proceſſiſſe pro auxilio Iuſtitiæ, vel ex omniũ

10. C. nobiliſſimus 76. diſtinct. cum vulgarib.

Cardi-

Cardinalium ſententia dicta coram Sũmo Pontifice. Quartò, quod Ciuitas Caſtrenſis fuerit in deditionem recepta, pendente noua dilatione Duci conceſſa, non animaduerſo, quod ſicut ex vi præſeruatiuæ expreſſæ in primo Breui non fuit ſuſpenſus Armorum progreſſus ex Iudicio Criminali, Ita neque valuit impedire illorum effectus. Quintò, quod eſſet habenda ratio nouæ proteſtationis affixæ Bononiæ, & inhęrentis primæ, Ac ſi inobediens inuſitato iure ſit audiendus, niſi legitimè coram Iudice ſe ſiſtat.

Haud ergò Barberinis, ſed propriæ culpæ tribuendum eſt alterum Monitorium Auditoris Cameræ, quo Ducem monuit ad perſonaliter comparendum, ſeque excuſandum à delictis, & criminibus commiſſis. Itidem ſoli Principis Indulgentiæ, non autem aſſertæ neceſſitati conualidandi dictum Monitorium adſcribi debet facultas poſtea Duci conceſſa accedendi ad Vrbem cum viris quinquaginta armatis pro eius cuſtodia, vt pleniùs apparebit ex dicendis in reſponſione tertiæ partis; Nec denique ex relationibus Fratrũ Barberinorum dici poteſt infixum Animo Sanctiſsimi, quod Orator Regis Chriſtianiſsimi, & alij Principum Miniſtri non obtinuerint, quod Dux poſſet Oratorem mittere, qui Iura ſua deduceret: Hoc enim iuſtiſſimè negauit æquiſſimus, & Cõſultiſſimus Princeps Vaſſallo diluturo crimina ſibi obiecta, ac ideò perſonalitèr ſe ſiſtere debenti, vt ſuâ non mutuâ alterius operâ ſe ab illis excuſet, ac purget.

Quoniã verò tripartitus eſt ordo ſcribentis pro Duce, eidem erit in reſponſione proſequendus, vt triplici nodo triplex cuneus adhibeatur;

Digitized by Google

PARS PRIMA,

Qua demonſtratur iuſtè Edicto Cardinalis Antonij Barberini Camerarij inſinuatas fuiſſe Duci Caſtri prohibitiones tractarum factas per Conſtitutiones Apoſtolicas.

SVMMARIVM.

Vindicatur Edictum Cardinalis Camerarij à nullitate ex defectu iuriſdictionis à n.1. per totum 8. Et ex defectu citationis à n.9. per totum 12. & ab iniuſtitia oppoſita à n.13. per totam partem.

Inane eſt Reorum confugium ad excuſationem mendicatam ab odio Iudicis num. 1. & 2.

Benignitatis officia excludunt ſuſpicionem odij num. 3.

Cardinales non recuſantur ſuſpecti n.5. Maximè quando procedunt de mandato Papæ n.6. nec Iudices, niſi probata iuſta cauſa ſuſpicionis num. 4.

Cardinali Camerario viua vocis oraculo aſſerenti de mandato Papæ creditur nu.7. & cuilibet alteri officiali referenti commiſſionem ſibi delegatam à Principe præſente num.8.

Citatio non requiritur in promulgatione, ſeù inſinuatione legum generalium nu. 9. nec in declaratione volũtatis Principis n. 12.

Cardinalis Camerarius eſt generalis Executor omnium conſtitutionum reſpicientium intereſſe Cameræ, ſpecialis verò conſtitutionum reuocantium facultates extrahendi num.10.

Iudex quilibet procedendo ex officio poteſt inhibere abſque citatione, & cauſæ cognitione num.11.

Facultates extrahendi frumẽtum; quas Dux Caſtri prætendit ſibi competere, comprehenduntur ſub conſtitutionibus Apoſtolicis reuocantibus huiuſmodi facultates tàm ex voluntate diſponentium à n. 14. vſque ad n.37. etiam non obſtante declaratione Clementis VIII. n.38. quàm ex poteſtate à n.40. vſque in finem.

Princeps ſanciendo leges vniuerſales neminem excludit, quamuis ſpeciali nota dignum num.14.

Exceptio firmat regulam in nõ exceptis n.15.

Dux Caſtri non fuit excluſus à diſpoſitione Conſtitutionum Apoſtolicarum reuocantium tractas n.16. Imò comprehenſus tam ſub nomine ſingulari Ducis n.17. quàm ſub generali nota cuiuſcunque ſtatus, & conditionis n.18. & 19.

Conſtitutiones reuocantes facultates extrahendi excluſerunt ab earum diſpoſitione acquiſitas dumtaxat ex cauſa verè oneroſa, nempè congruæ ſolutionis, & exburſationis pecuniarum n.16.

Dux Caſtri non eſt de maioribus n. 20. cum tribus ſeqq.

Paulus Tertius in erectione Ducatus Caſtri reſeruauit ſupremum Dominiũ Sedi Apoſtolicæ n.22. & 23.

Voluntas dignoſcitur ex anteà, vel poſteà geſtis num.24.

Referuntur plures licentiæ extrahendi frumẽtum ex Monte alto, & Ducatu Caſtri poſt obitum Pauli Tertij conceſſæ Ducibus Caſtri, & alijs n.25.29. & 116.

Camera Apoſtolica, eiuſque Clerici pluriès poſt obitum Pauli Tertij ſtatuerunt pretium frumento venali in Emporio Montis Alti num.26.

Paulus Quartus tranſmiſit plures Commiſſarios generales pro regimine rei frumentariæ, & ſpeciatim in Statu Caſtri n.27.

Pius IV. reuocauit duabus conſtitutionibus

Digitized by Google

omnes facultates extrahendi frumenta n.28. & huiuſmodi reuocationem confirmarunt, & ampliarunt Pius V. Gregorius XIII. Clemens VIII. Paulus V. & Sanctiſſimus n.33. qui vlterius extendit ad reſtitutas, & reintegratas etiam authoritate Iudicis n.39.

Deducitur voluntas Pij IV. comprehendendi ſub eius reuocationibus facultates Ducis Caſtri num.29. & 32. Et deinde aliorum Põtificum dictas reuocationes confirmantium num.34.

Dux Vrbini petijt, & obtinuit licentiã à Pio Quarto poſt dictas eius conſtitutiones exigendi portorium à ſuis maioribus ſemper exactum pro frumento extrahendo à portubus Piſauri, & Senogalliæ num.31.

Confeſſio Authoris probat contra ſucceſſorem num.35.

Plures Duces Caſtri per dictas reuocationes obtinuerunt ſingulorum vitâ durante duntaxat reſtitui ad facultates extrahendi num.36. Vnde elicitur eorum confeſſio cõprehenſionis ſub dictis reuocatorijs n.37.

Sententia Papæ ad relationem alterius non dicitur ſententia Papalis, ſed Relatoris num.40.

Summi Pontifices potuerunt reuocare facultates Ducis Caſtri veluti merè gratioſas à num.58. vſque ad 64. etiam confirmatas in erectione Ducatus Caſtri à nu.65. vſque ad 70. vel comprehenſas ſub nomine regalium à n.98. vſque ad 104. & non obſtante Iure quæſito ex prætenſa conceſſione feudali n.106. & ſequen.

Facultas extrahendi non legitur in notula Inſtrumenti ſuper conceſſione Terræ Montis Alti facta Petro Aloyſio de Menſe Auguſti 1535. nu.43. neque in alio ſimili Inſtrumento poſt erectionem Ducatus confecto 26. Aprilis 1542. neque in confirmatione Pauli Tertij huius ſecundæ conceſſionis num.81. & 82. ſed ſeparatim tributa à Paulo Tertio poſt confirmationem prioris conceſſionis 12. Kalen. Ianuarii ab Incarnat. 1535. nu.44. & 45. nec generaliter, ſed iuxtà conſuetudinem Prouinciæ Patrimonii, nempè de loco ad locũ eius Prouinciæ, ad Vrbem, ac vbi degeret Curia Romana à num.94. vſque ad 97.

Alia ſimilis facultas conceſſa Raynutio ſeniori ab Eugenio IV. longè prius expirauit, & ſublata fuit à n.52. vſque ad n.55.

Hæc dicitur mera largitas Pauli III. à n.45. vſque ad 58. & in erectione Ducatus cõfirmata ſimpliciter à n.64. per totum n.70. ac extenſa ad loca omnia mediatè, vel immediatè ſubiecta Eccleſiæ Romanæ tãtùm n.95. & 97.

Nec tributa ſub nomine Regalium conceſſorum in erectione Ducatus, tum quia ſub eo non eſt comprehenſa terra Montis Alti n.71. & 80 tum quia de illa, non fuit facta ſpecifica mentio n.85 tum quia in eiſdem literis erectionis fuit ſpecialiter diſpoſitum de illa non vti comprehenſa inter regalia n 87.

Et ſi tributa, intelligenda eſt ad limites cõſuetudinis Prouinciæ Patrimonii nu. 92. & ſemper ſubordinata legibus, ac Edictis editis circa rem frumentariam num. 110.

Tunc dicitur agi gratioſè quando concedens non mouetur ex vlla cauſa, ſed ex mera liberalitate num.46.

Contractus non cadit in re à Principe conceſſa motu proprio n 48. & n.51. et tunc propriè dicitur quando interuenit obligatio ex mutuo conſenſu num.50.

Motus proprius procedit à mera liberalitate concedentis num. 9.

Conceſſum ad tempus, eo finito, cenſetur denegatum num.53.

Nota cancellationis appoſita in fine, vel margine Inſtrumenti illud probat cancellatum num.55.

Conceſſio gratioſa reſoluitur in vim priuilegii num.56.

Quid quid à Principe de plenitudine ſuæ poteſtatis conceditur de rebus non feudalibus propriè dicitur priuilegium num.57.

Non

Digitized by Google

Non valet priuilegium conceſſum in præiudicium rei annonariæ num. 58. *vel in diminutionem dignitatis* Principis *nu.* 59. *vel in detrimentum publicæ vtilitatis num.* 60. *etiamſi hoc caſu eſſet iuratum num.* 61.

Princeps *poteſt ſine cauſa reuocare ſuum priuilegium ex quo alteri Ius quæſitum fuit num.*62.

Per *facultates extrahendi frumenta conceſſionario nõ quæritur Ius irreuocabiliter, vndè concedens poteſt quandocumque illas vel ad libitum reuocare n.* 63. *ac n.* 104. *vel per viam legis vniuerſalis à n.* 105. *vſque ad* 110.

Confirmatio non extenditur vltra metas actus confirmati num. 66. *&* 69. *ſiue corroboret Ius prius quæſitum num.* 67. *ſiue conualidet actum nullum num.* 68. *& dicitur conualeſcentia prioris entis num.* 70.

*Terra Montis Alti non eſt comprehenſa in Ducatu Caſtri n.*71. *cum duobus ſequentibus, & n.*77. *ſed tantùm in primogenitura n.*74. *& ſequen. Conceſſa fuit in feudum ad quartam generationem maſculinam* Petri *Aloyſii nu* 79. *& dicitur iamprìdem deuoluta ad Sedem Apoſtolicam ob non ſolutionem Canonis n.*83.

Referuntur verba formalia cedulæ Motus proprij ſignatæ manu eiuſdem Pauli *Tertij ſuper erectione Ducatus n.*72. *ac litterarum eius vigore expeditarum n.*73.

*Diſcreta diſpoſitio facta in vno loco operatur, vt diſponens aliud credatur voluiſſe quando non expreſſit n.*75. *eiuſque natura eſt excludere, & ſeparare n.*76.

*Error deprehenditur, quoties referens differt à relato num.*78.

*Cenſus ſoluendus pro Terra Montis Alti non fuit remiſſus in erectione Ducatus n.*84.

Clauſura, & apertura Portuum *inhæret ſupremæ dignitati* Principis *num.*86.

Generalis conceſſio non comprehendit ea de quibus erat ſpecialiter prouiſum n. 87.

*Specialiter denominatum videtur diuiſum à genere, nec venit ſub nomine generali num.*88.

In Prouincia Patrimonij *fuit ſemper conſuetudo non extrahendi frumentum, neque de loco ad locum intrà dictam* Prouinciam, *niſi cum licentia Rectoris num.*89. *&* 91.

Bonifacius Octauus prohibuit, nè Bladum, vel Annonæ graſcia extraheretur extra Prouinciam Patrimonij, *niſi exportaretur ad Vrbem, vel ad locum in quo* Curia *Romana moraretur, nec etiam intrà de loco ad locum ſine licentia Rectoris n.* 90.

Feudum ſortitur naturam à conſuetudine Prouinciæ, *vbi ſtat locus conceſſus. n.*93.

Dictio, etiam, eſt implicatiua præcedentium num. 95.

*Tacitum non operatur pluſquam expreſſum num.*96.

Ius exituræ comprehenſum ſub nomine regalium nil aliud eſt quàm Ius portorij, ſeù gabellæ ſoluendæ pro extractione legitimè facienda num. 99. *vbi quòd Agentes pro Camera non prætendunt per* Conſtitutiones *Apoſtolicas ſublatum iſtud Ius, ſed Ius extrahendi abſque licentia Summi Pontificis.*

*Quicquid inſeruit Principi pro adimplemento ſuæ obligationis cohæret ſupremæ Dignitati Principatus num.*100.

Dependentia à ſuprema poteſtate ſunt conceſſa precario, & reuocabiliter num. 101.

Principis *obligatio in ſubditos eſt conſeruandi neceſſaria pro alimentis num.*102. *& omnis ferè illius cura debet eſſe circa Annonæ ſtudium num.*103.

Princeps ſupremus per viam legis vniuerſalis gratiâ boni publici tollere poteſt facultatem extrahendi num. 105. *Ius naturale, ac gentium num.* 106. *& Ius quæſitum Tertio num.* 108. *nec tenetur ſtare regulis Iuris, vbi ſubeſt bonum publicum num.*107. *neque poteſt ſe priuare authoritate ferendi leges num.*109.

Duces

Digitized by Google

Duces Caſtri vſi fuerunt facultate extrahendi ſubordinatè legibus, at Edictis editis circa rem frumentariam per Camerariū, et Cameram num. 110.

Per obſeruantiam dignoſcitur quid, et quantum conceſſum num. 111.

Oſtenditur declarationem Clementis Octaui ſuper Iure extrahendi competente Ducibus Caſtri emanaſſe ex falſis ſuppoſitis a n. 112. *per totum n.* 117. *eâdemque ratione dicitur corruere noua conceſſio ex eo dependens n.* 118. *vel ſaltem quod potuerit reuocari per Paulum V. et Sanctiſſimum tanquam merè gratioſa n.* 119.

Sedente Gregorio XIII. Camera obtinuit inhiberi Duci Caſtri, nè extraheret frumentum num. 115.

Reſpondetur deductis ex contractu inito inter Cameram, et Ducem tempore Clementis Octaui a num. 120. *vſque in finem.*

In caſu indigentiæ cuiuslibet partis ſtatus Cōcedentis facultatem extrahendi, hæc non attenditur num. 121.

Quilibet cogitur ad vendendum triticum communi pretio n. 122. *et viliori tempore penuriæ num.* 123.

NVllum, & iniuſtum dicit Author Edictum Cardinalis Camerarij, quo in executionem Conſtitutionum Apoſtolicarum denunciauit in Oppido Montis Alti, & Ducatu Caſtri, nè ſine Chirographo ſignato manu Sanctiſſimi exportetur frumentum extra ſtatum Eccleſiæ: Et nullitatem deducit ex defectu Iuriſdictionis, & citationis: Iniuſtitiam verò ex eo, quod dictæ Conſtitutiones generaliter reuocantes facultates extrahendi frumentum nequeant defectu poteſtatis, & voluntatis protendi ad conceſſas Duci Caſtri.

Neutra tamen ſubſiſtit; non quidem nullitas, vt potè à nullis petita principijs, ſiue ad eneruandam Iuriſdictionis vim deriuetur ex Titulo aſſertæ Inimicitiæ, quam dicta in proœmio penitùs excludunt, ſiuè ex denegata fide Pontificij mādati, quod vel ipſa natura officij Camerariatus reddit incontrauertibile; ſiuè ad euitandum ne Ducem afficiat, deducatur ex omiſſa citatione, quaſi Cardinalis Camerarius inſinuando per publicum Edictum leges iam Orbi notas, de illis debeat perſonalem certiorationem facere cuilibet ſub eis comprehenſo.

Et nè authoritatibus deſtituti videamur ingredi veſtibulum defenſionis Iurium Cameræ *Io. Ant. Bellon. conſ.* 5. *n.* 124.
per plur. ſequen. reſpondens pro Raynutio 1
Parmæ, & Placentiæ Duce aduerſus Comitem Albertum Scottum, pluribus cōgeſtis demonſtrat, quàm inane ſit Reorū confugium ad excuſationem mendicatam ab odio ſuperioris, præſertim ſi alias
iſte benignitatis officia in illos contule- 2
rit *idem Bellon. d. conſ.* 5. *num.* 126. *verſ. Quia conſtat*. Hæc enim omnem prorsùs
odij ſuſpicionem remouent, cū ergà be- 3
nemerentes dumtaxat exerceantur *l.* 3. *§. final. ff. de adimendis legatis cum ſimilibus ab eodem Bellonio relatis d. conſ.* 5. *nu.* 127.
Et tamen ad huiuſmodi effectum nō ad- 4
mittitur talis ſuſpicio, niſi deducatur, & probetur iuſta eius cauſa *c. cum ſpeciali in princip. de appell. cum aliis per Bellon. dicto conſ.* 5. *num.* 150. Imò vel facultas recu- 5
ſandi propter ſuſpicionem, generaliter ceſſat quoad Cardinales, ex approbata eorum fide, & Iuſtitia, *vt inquiunt Imol. in c. Nouit ille* 43. *num.* 4. *et Franc. in c. poſtremo* 36. *quæſt.* 7. *num.* 15. *de appellation.*
Vel ſingulariter, quando procedunt de 6
mandato Papæ, quia tunc conſiderantur vti Executores dictæ iuſſionis, nec proptereà poſſunt recuſari ſuſpecti ex regula firmata in *d. c. nouit ille*, vbi *Innocent.* ponderat quod Cardinalis non edidit ſententiam interdicti, ſed potiùs publicauit, nec fuit dictator ipſius, ſed eius Executor *Abb.* verò *num.* 5. *verſ. primus eſt.* approbat

huiuſmo-

Digitized by Google

huiuſmodi intellectum; quod Cardinalis nequeat recuſari, quando procedit vti Executor mandati Pontificij.

Quod autem habenda ſit fides Cardi-
7 nali Camerario, viuæ vocis oraculo aſſerenti de mandato Papæ inconcuſsè teſtatur peruetuſtus Curiæ ſtylus, adeò notus, vt ſine liuore minimè poſſit cõtrouerti, cuius etiam meminit *Thomat. deciſ. Mar-*
8 *chiæ 94. nu. 3.* Imò non eſt nouum, quod quilibet officialis referens delegatam ſibi commiſſionem à Principe præſente, fide dignus reputetur *iuxtà doctrinam Speculatoris tit. de probat. §. videndum verſ. & idem intelligo, quam ſequitur Iaſon conſ. 104. vol. 1.*

9 At nouum quidem eſt, in promulgatione, ſeù inſinuatione legum generalium, citationem requiri præter Iuris diſpoſitionem *c. 1. circa med. verſ. nec ſit ne ceſſe de poſtulat. Prælatorum.* Nec proptereà poteſt dubitari, quin Cardinalis Camerarius, non ſolum vti generalis executor omnium conſtitutionum reſpicien-
10 tium intereſſe Cameræ, ſed ſpecialiter etiam Delegatus in illa Pij Quarti, & cõſequenter in alijs, quæ eamdem, vel confirmarunt, vel ampliarunt, potuerit abſque citatione propter Annonæ cauſam inſinuare Duci Caſtri reuocatorias contentas in dictis Cõſtitutionibus, ſub quibus & ipſe ex infrà dicendis erat abſolutè comprehenſus; Nam quilibet Iudex pro-
11 cedendo ex officio valet inhibere abſque citatione, & cauſæ cognitione *Iaſon in l. admonendi nu. 327. verſ. ſecus quando Iudex ff. de iure iur. Federic. de Sen. conſ. 300. num. 1. verſ. ſecus ſi ex officio. Mandoſ. de inhibit. q. 18. num. 5.*

Imò cum ſuum Edictum fecerit, gratia
12 reducendi ad memoriã, quod priùs cautum fuerat in dictis reuocatorijs, & declarando voluntatem Sanctiſſimi, vt illæ ſeruentur; nullam profectò citationem exegit, nam Partis præſentia, & vocatio non exigitur, quando agitur de declaratione voluntatis *ex congeſtis per Aldobrandinum conſ. 1. num. 331. lib. 1. loquentem de declaratione voluntatis Pontificiæ.*

Iniuſtitia verò tam procul abeſt, vt potius ex obiectis Iuſtitia clarior eluce-
ſcat; Nequit enim ſubſtineri, quod ſub 13
diſpoſitione dictarum Conſtitutionum reuocantium facultates extrahendi, non comprehendantur defectu poteſtatis, & voluntatis illæ, quas Dux Caſtri prætendit ſibi competere.

Nam defectus voluntatis perperàm
obijcitur in Principes, qui ſanciendo le- 14
ges vniuerſales pro bono publico totius Status, neminem cenſentur ab eis voluiſſe ſegregare, quamuis ſpeciali nota dignum, dummodò verborum generalitas apta ſit eum comprehendere *Bellon. dicto conſ. 5. num. 86. cum ſequen.* & fortius quã-
do in illis ſpeciatim excluſerunt quos 15
noluerunt comprehendi *l. nam quod liquidè in fine ff. de pæn. legat. l. quæſitum §. denique ff. de fundo inſtructo. Surd. conſ. 230. num. 17. vol. 2.* Adeòut Dux Caſtri, qui
ſuas minimè obtinuit titulo verè one- 16
roſo (vt inferiùs demonſtrabitur) nequeat dici excluſus à diſpoſitione dictarũ Conſtitutionum, reſtringẽtium excluſionem ad acquiſitas, dumtaxat ex cauſa verè oneroſa, videlicet congruæ ſolutionis, & exburſationis pecuniarum, ſed maximè quia in Verbis cõprehendunt etiã datas conſiſtorialiter, & firmatas contractu, ac pluries innouatas, Et quoad perſonas, Duces, omneſq. alios, quacũq. tàm ſeculari, quàm Eccleſiaſtica dignitate fulgentes; Quo verò ad loca, omnia quomodolibet ſubiecta Ditioni Eccleſiaſticæ tàm immediatè, quàm mediatè.

Nec ambigendum eſt, quin ampliſſima verborum generalitas in dictis Conſtitutionibus, apta ſit includere cõceſſas
Duci Caſtri, ſiuè ponderetur Dignitas 17
Ducalis, quia literaliter exprimunt Du-

ces,& Ducatum,nec admittunt aſſertam
diſtinctionem inter Duces maioris, &
18 minoris potentiæ,cum idem nomen Du-
cum ſingulis æquè conueniat, nec clau-
ſula cuiuſcunque ſtatus, gradus, ordinis,
præeminentiæ, vel conditionis ſinat vllã
ſpeciem à ſuo genere diuelli propter ma-
19 iorem qualitatem,cum dictio cuiuſcum-
que ſit effrænata,omnes comprehẽdens,
& nullam penitùs excludens;Imò nec di-
20 cta maioritas ſit conſiderabilis in Duce
Caſtri, quem Paulus Tertius in decreto
Conſiſtoriali ſuper confirmatione ere-
ctionis dicti Ducatus facto die 19. De-
cembris 1537. quoad ſupportationem
onerum aſſimilauit cæteris Baronibus, &
Domicellis cõſtitutis in diſtrictu Vrbis,
vt latiùs deducetur in primo articulo ter-
tiæ partis: Siuè ponderetur qualitas ſub-
21 iectionis, cum omnia loca dicti Ducatus
ſint mediatè ſubiecta Sedi Apoſtolicæ,&
ſub illius ſuperioritate, ac ſupremo Do-
minio,quæ ſibi explicitè reſeruauit,tam
in permutatione Caſtri cum Iuribus Fra-
ſcati,quam in erectione Ducatus:Siue le-
22 gatur cedula Motus proprij Pauli Tertij,
cuius vigore expeditæ fuerunt primæ lit-
teræ, ibi, *Saluo tamen ſupremo dominio,&
fidelitatis iuramento præſtando*:Siue dictum
23 decretũ Conſiſtoriale, à quo poſteriores
litteræ cõfirmationis elicitæ ſunt,ibi,*Re-
ſeruato tamen Sedi Apoſtolicæ ſupremo do-
minio*, adeòut longè à vero alienum ſit,
quòd Paulus Tertius nullum Dominiũ
reſeruauerit Sedi Apoſtolicæ in dicto
Ducatu.

Cæterùm quia nullum ſuę intentionis
24 certius argumentum aperit voluntas hu-
mana, quàm quod publicat ex anteà,vel
poſteà geſtis *l. quædam ſunt ff. de reb. dubijs
cum ſimilibus per Mantic. de tacit. lib. 6. tit.
23. num.* 32. vtique ex alterutris inſurgit
aperta comprehenſio Ducis Caſtri ſub
earum diſpoſitione: Vix enim defuncto
25 Paulo Tertio de anno 1549. Guido Aſca-
nius Cardinalis de S. Flora S. Romanę Ec-
cleſiæ Camerarius, ipſique Duci ſangui-
ne coniunctus, ſedente Iulio III. conceſ-
ſit facultates extrahendi frumentum ex
Monte Alto, alijſque locis Ducatus Ca-
ſtrenſis, & ſignanter Thomæ de Caual-
cantibus, & Ioanni Giraldo mercatori-
bus Florentinis 27. Ianuarij, & 9. Martij
1552. Nec non Sede vacante per obitum
Pauli Quarti, ad preces Ducißę Caſtri die
2. Septembris 1559. ſimilem licentiam
tribuit ſubditis eiuſdem Ducißæ extra-
hendi è Statu Caſtri frumentum ibi re-
collectum, ac præmortui Pontificis iuſſu
adſeruatum. Itidem Camera Apoſtoli- 26
ca, eiuſque Clerici, ſedente præfato Iulio
Tertio, ſtatuerunt pretiũ frumento ve-
nali in Emporio Mõtis Alti, vt liquet ex
Decretis die 12. Septẽbris 1550. 16. eiuſ-
dem 1551. & 1552. ac 11. dicti Menſis
1553. & 27. Auguſti 1554. ac etiam die
11. Octobris 1555. & 12. eiuſdem 1556.
regnante Paulo Quarto, Qui cum ſe- 27
legerit Commiſſarios generales pro regi-
mine rei frumentariæ in vniuerſo Statu
Eccleſiaſtico, ſpeciatim miſit die 28. Iu-
nij 1558. Fabium Cordellam, & 23. Iunij
1559. Valentinum Pellegrinum ad Pro-
uinciam Patrimonij, Comitatum Vrbis
Veteris, Ciuitatem Caſtellanam, Nepé,
Sutrium, Statum Caſtri, aliaque loca me-
diatè, vel immediatè ſubiecta, qui in lo-
cis præfatis, & præcipuè in Statu Caſtri
munus ſibi iniunctum fideliter executi
ſunt, vetando, & indulgendo, ſicut ex eo-
rum libris tunc Cameræ Apoſtolicæ ex-
hibitis ampliſſimè conſtat.

Vnde cum Pius Papa Quartus, tam die 28
3. Decembris 1560. in ipſo limine ſuſce-
pti Apoſtolatus, quam poſteà Conſt. 99.
per viam legis vniuerſalis reuocauerit
omnes facultates extrahendi frumenta,
& cuiuſuis generis blada, ex quibuſcum-
que Prouincijs, Ciuitatibus, Terris, & lo-
cis mediatè, vel immediatè ſubiectis etiã

ex

Digitized by Google

ex cauſa oneroſa (præter quam veræ ſolutionis pecuniarum) Ducibus in ſpecie, ac quibuſcumque perſonis cuiuſcumque
29 Dignitatis, & gradus conceſſas, procul dubio videtur fatendum ſub dicta reuocatione voluiſſe comprehendere permiſſas Duci Caſtri, cuius ſtatus, aſſertis conceſſionibus minimè refragantibus, ab obitu Pauli Tertij ſemper ſubiacuerat Regimini Cameræ Apoſtolicæ in his, quæ ad Annonam ſpectabant, Alias tam oculatus Pontifex redargueretur de Incuria circà ea, in quibus primum ſtudiū Pontificij muneris collocauerat.

30 Quod etiam poſteriora comprobant, Nam die 29. Nouembris 1565. Vitellotius Cardinalius Camerarius conceſſit Hieronymæ Duciſſæ Caſtri facultatem exportandi ex Oppido Montis alti rubra quingenta frumenti extrà Statum Eccleſiaſticum, Quodue ſummoperè ponde-
31 randum eſt. Guidobaldus Vrbini Dux, agnoſcens ſe comprehenſum ſub dicta reuocatoria, petijt, & obtinuit ab eodem Pio IV. licentiam exigendi portorium, à ſuis Maioribus ſemper exactum de frumento extrahendo è Portubus Piſauri, & Senogalliæ, dummodò nō excederet certam ſummam expreſſam in Breui ſub da-
32 tum 13. Octobris 1562. Quarè fruſtrà hæſitatur de voluntate Pij IV. non ſolum verbis, ſed re ipſa ampliſsimè teſtata, & tam à Poſſeſſoribus Ducatus Caſtri obſeruata, quàm agnita per Ducem Vrbini.

33 Quoduè talis etiam fuerit voluntas Pij Quinti, Gregorij XIII Clementis Octaui, Pauli Quinti, & Sanctiſſimi, in ſimilibus eorum Conſtitutionibus non eſt longè quærendum, cum ſinguli dictam reuocatoriam Pij Quarti ampliorem fecerint, & vegetiori, ac ſeueriori obſeruā-
34 tiæ reſtituere curauerint. Nam qui ampliat non reſtringit, & qui confirmat non deſtruit.

Imò non aliunde petendum eſt dictæ voluntatis argumentum, quàm ex pro- 35
pria met confeſſione Authoris Ducis Caſtri, quæ omnem aliam probationis ſpeciem exſuperat *Aretin. conſ.* 112. *num.* 2. *Rayn. conſ.* 50. *num.* 53. *vol.* 1. *cum aliis per*
Greg. XV. deciſ. 172. *num.* 1. Octauius enim 36
Farneſius à Pio V. die 8. Iunij 1566. Alexander à Sixto Quinto die 1. Iulij 1587. & Raynutius à Clemēte VIII. die 3. Aprilis 1593. obtinuerunt, durante vita ſingulorum dumtaxat, reſtitui ad aſſertas facultates extrahendi frumenta conceſſas
Ducibus Caſtri; Ideòque falſi fuerunt ea 37
rum comprehenſionem ſub dictis reuocatorijs, aliàs ipſi non curaſſent, nec acceptaſſent dictam reſtitutionem temporalem ad vitas ſingulorum tantùm, niſi certò ſciuiſſent, præfatos Pontifices voluiſſe eos comprehendere, *vt ad rem noſtram animaduertit Bellon. d. conſ.* 5. *num.* 88. *verſ. quod ipſimet Iugales*.

Neque de huiuſmodi voluntate reſpe- 38
ctu Pauli Quinti, & Sanctiſſimi dubitandum erit ex eo, quod in ſuis Conſtitutionibus, tāquam emanatis, poſtquàm Clemens VIII. ad relationem Congregationis ab ipſo deputatę declarauit huiuſmodi tractas ſpectaſſe, & pertinere ad Duces Caſtri, non ſit veriſimile, quod voluerint comprehendere firmatas declaratione
Pontificia ad eorum fauorem, nam, vltrà 39
inferiùs dicenda, declaratio prædicta ſatis videtur comprehenſa in §. 15. Conſtitutionis Sanctiſſimi, ibi; *Ac illas* (ſcilicet facultates extrahendi) *quomodocumque, & qualitercumque hactenus in genere, vel in ſpecie tàm antè, quàm poſt eiuſdem Pauli Quinti, & aliorum Prædeceſſorum prædictorum, & quandocumque datas, factas, ſeù confirmatas, reſtitutas, reintegratas, aut alias conceſſas, & inde etiam authoritate Iudicis ſecuta quacumque, etiam perpetuò, ac motu, ſcientia, & poteſtate ſimilibus, reuocamus, & abrogamus*, ſiuè per illam dicantur

con-

Digitized by Google

confirmatæ, ſiuè reſtitutæ, quia cenſetur
40 emanaſſe ex ſola Relatorum authoritate, non autem ex Summi Pontificis poteſtate, dum ex eorum relatione locutus fuit ad tradita in ſpecie de ſentẽtia Papæ prolata ad relationem Cardinalis *per Roman. conſ. 521. nu. 1. verſ. tunc enim potius, quem ſequuntur Soccin. ſen. conſ. 195. nu. 5. vol. 2. & Laurent. de Iudic. ſuſpect. cap. 15. nu. 49. circa med. verſ. ſecus*, & conſequenter eſſe abrogata per Sanctiſsimum, non ſecus ac ſi proceſſiſſet ex ſola Iudicis Authoritate contra priores Conſtitutiones.

41 Verùm non tàm malè negata fuit iſta comprehenſio defectu voluntatis, quàm peruersè defectu poteſtatis, ſiquidem probato ex iam dictis animo Summorũ Pontificum includendi ſub dictis reuocationibus facultates prætenſas à Ducibus Caſtri, non poteſt dubitari de illorũ poteſtate, quin ſimul redarguantur de Iniuſtitia, quod quàm ſit alienum à ſpecioſa veneratione eis verbo profeſſa per Authorem, manifeſtè conuincunt proximè laudati Octauius, Alexander, & Raynutius Duces Caſtri, qui Iuſtitiam tantorum Pontificum obſeruantes, precibus humilitèr porrectis (vt decet) non ſuperba negatione dictę poteſtatis, ſuę indemnitati conſulere ſtuduerunt.

42 Hunc ergò defectum poteſtatis idem Author redarguit ex eo, quod Papa nequeat in his, quę sũt de hoc ſæculo, æquè, ac quiuis Princeps laicus, tollere Ius tertio quæſitum ex contractu, vel alia cauſa oneroſa, ſicque dicti Pontifices non valuerint priuare Ducem Caſtri facultate extrahendi frumentũ, ei quæſita per contractum feudalem, non reuocabilem ſine cauſa, tanquam vltro citroquè obligatorium: Sed huiuſmodi fundamentum ex pluribus ruit, & à notioribus inchoando, aſſerimus dictam facultatem nõ legi tri-
43 butam in notula Inſtrumenti ſuper conceſſione Terræ Montis alti, quæ à Præſidentibus, & Clericis Cameræ Apoſtolicæ dicitur facta Petro Aloyſio Farneſio de Menſe Auguſti 1535. in feudum nobile pro ſe, eiuſque filijs, & nepotibus deſcendentibus ex linea maſculina vſque ad quartam generationem, incipiendo à filijs, ſub annua reſponſione vnius Crateris argenti, ponderis vnius libræ, addito quod teneretur Arcem dictæ Terræ reſtaurare, & melioramenta, finitâ generatione intelligerentur donata Cameræ Apoſtolicæ: Sed ſeparatim ab illius confirmatione, impertitam fuiſſe in literis Pauli III. ſub datum Romæ duodecimo Kalendas Ianuarij Anno Incarnationis 1535. Nam poſtquam confirmauit omnia, & ſingula contenta in notula dicti Inſtrumenti, ac proindè in totum abſoluit, & conſumpſit actum reſpicientem Inueſtituram, retulit per caput ſeparatũ, quod alias Eugenius Papa Quartus eamdem Terrã Montis alti conceſſerat Raynutio Farneſio cum facultate extrahendi frumentum, tàm per terram, quàm per
mare, moxque ſubdidit, *Et nihilominus* 44
dicti Eugenij prædeceſſoris veſtigijs inhærendo, volentes ergà eumdem Petrum *Aloyſium nos reddere gratioſos, ei, ſuiſque hæredibus, et ſucceſſoribus præfatis, frumenta, & alia bona ex Montis alti, & Caſtri, ſuis Oppidis,* Ter*ris, locis, quæ vt præfertur, obtinet, eorumque diſtrictibus, & territorijs liberè, & abſque ſolutione alicuius vectigalis, ſeu pedagij extrahendi, & ad loca quæcumque, tam per mare, quàm per terram conduci faciendi, plenam per præſentes concedimus facultatem.*
Apertiſſimè enim indè conſtat, quod di- 45
cta facultas non eſt pars Inueſtituræ, & aſſerti contractus feudalis confirmati in dictis litteris, ſed mera largitas earum occaſione in ſuos effuſa à Paulo Tertio, vt clarè demonſtrant illa verba, *Volentes erga eundem Petrum Aloyſium nos reddere*
gratioſos, cum propriè dicatur agi gratio- 46
sè, quando fit aliquid ex mera liberalita-

te,

te, nec concedens mouetur ex vlla cau-
ſa *Gozadin.conſ.5.num.26.verſ.ponderan-
do ibi, gratioſè induxit, Mandoſ. in gloſ.fa-
cultat.verb.gratioſè pagina mihi* 113.Quo-
47 niam alias non eſſet gratia, quæ dicitur
gratis data *c.gratia 1.queſt.1.* & confir-
matur ex eo, quod contractus non cadit
48 in re à Principe conceſſa Motu proprio
c.ſi motu proprio cum ibi notatis de præbend.
49 quia procedit à mera liberalitate conce-
dentis *gloſ. in l.labeo 19. verb. vltrò citro-*
50 *que ff. de verb.ſignificat.* contractus verò
tunc propriè dicitur, quando interuenit
obligatio ex mutuo conſenſu hinc indè
*Gemin.conſ.65.num.2.propè finem verſ.ſed
iſte non fuit contractus, & num.3.* Ideoque
51 multũ refert, vtrùm cũ Principe contra-
hatur, vel ipſe gratiam concedat non per
viam contractus, *vt Bald. inquit in cap.1.
§.Inueſtitura num.3.verſ.ſed contrarium
de noua forma fidelit.*

52 Neque ad cauſam referri poteſt, quod
Eugenius Quartus aliàs dictam faculta-
tem conceſſerat præfato Raynutio, & ſic
vni ex prædeceſſoribus dicti Petri Aloy-
ſij, quia non ſolum illa emanata quartò
Kalendas Decembris Anno Incarnatio-
nis 1435.expirauit per lapſum temporis,
ad quod reſtricta, & limitata fuit, donec
eidem Raynutio reſtituerentur floreni
11900. debiti ratione ſtipẽdij, cum per-
53 trita ſit regula, quod conceſſum ad tem-
pus, eo finito cenſetur denegatum, *l.ſi
vnus §.1.ibique Bald l.Epiſtola §.final.vbi
Caſtrenſ.ff.de pactis. Surd.conſ.354.nu.18.
vol.3.* ſẹd fuit etiam penitus ſublata per
54 integram ſatisfactionem debiti, cuius
gratia tantùm emanauerat; Nam præfa-
tus Raynutius, Nicolao Quinto ſuffecto
in locum Eugenij, promiſit ſe reſtitutu-
turum Caſtrum Montis alti, ſi vice verſa
promitteret, quod Camera Apoſtolica
ei ſolueret florenos 9000. ex vndecim,
quos tenebatur reſtituere; quarè dictus
Pontifex ipſi Raynutio pro ſe, & hæredi-
bus obligauit, & adiudicauit omnes fru-
ctus, & redditus pecuniarios prouenien-
tes ex Prouincia Patrimonij Beati Petri
in Tuſcia vſque ad integram ſatisfactio-
nem, præcepitque illius Theſaurario, vt
huiuſmodi ſummam perſolueret abſque
alio mandato ſicut in eius literis habe-
tur ſub Datum Romæ decimo octauo
Kalendas Nouembris Anno Incarnatio-
nis 1447.in quarum margine cum lega-
tur hæc nota, *caſſa de mandato D.N.P.* 55
*quia ſatisfactum eſt Raynutio, reſtituitque
Caſtrum Montis Alti*, non poterat con-
trouerti tam perfecta ſolutio ex parte Ca-
meræ, quàm plena reſtitutio Caſtri ex
parte Raynutij, vtráque tali nota conclu-
dentèr, & optimè probante *l.ſi Chirogra-
phum ff.de probat cum alijs per Alex.conſ.14.
num.17.verſ.octauo contra. vol 6. & conſ.
104.num.6.verſ.vbi volunt vol.7.*

Expirata igitur iampridem dicta con-
ceſſione Eugenij, non poteſt controuer-
ti, quin dicta facultas, longè poſt data à 56
Paulo Tertio, fuerit ſimplex gratia, quæ
reſoluitur in vim priuilegij, eiuſque na-
turam inducit *Bald. in d.§. Inueſtitura
num.3.in fine verſ. & nota, ibique Afflict.
num.6.verſ quoniam. Camer. in c.Imperia-
lem de prohibit.feud.alien. per Feder.fol.44.
ſub littera I.verſ.quia omnis gratia*; non ſo-
lum vt nomen, *Gratioſi*, ſit conſonum rei
*§.eſt & aliud Inſtit. de donat. Menoch. conſ.
191.num.17.vol.2.* Sed etiam quia exce-
dit limites infeudationis factę per Came-
ram, ac ideò verſatur circa rem non in-
feudatam.

Nam quicquid à Principe de plenitu-
dine ſuæ poteſtatis conceditur de rebus 57
non feudalibus, propriè dicitur priuile-
gium *Bald. in prælud.feud. num. 181. Iaſ.
in iiſdem prælud.num.26.Martin. Laudenſ.
in cap.1.num.10. de his, qui feud.dar poſſ.
Camer in d.c.Imperialem fol.44. à tergo lite-
ra L.verſ.niſi quando, & Petr. Gregor. de
conceſſ feud.par.2.quæſt.5.num.1.dicens eſſe*

C com-

communem Doctorum concluſionem, quia deriuat ex ſola Principis poteſtate vltrà terminos feudi, nec propterea poteſt vllam correſpectiuitatem habere ad viciſſitudinarias obligationes, quæ illius ratione ſunt conſiderabiles inter Vaſſallū, & Dominum ad hoc, vt gratiam mixtam efficiant.

Ex quibus rectè ſequitur, vel huiuſmodi gratiam non valuiſſe ab initio, quia
58 emanauit in graue præiudicium rei Annonariæ, cui Summi Pontifices in Prouincia Patrimonij ſtudioſè cōſueuerant prouidere vetando, nè ſimiles extractiones ibi fierent *ad tex. in l. in fraudem* 7. *C. de Annon. & Tribut. lib.* 10. *l.* 2. *C. de canon. frument. lib.* 10. *Ciriac. contr.* 310 *num.* 61.
59 In diminutionem Dignitatis Sedis Apoſtolicæ, à qua dumtaxat vti prouidâ ſubditorum altrice, ac Domina facultates extrahendi frumenta, & blada erant ſingulatìm petendæ *l. fin. C. de conſul. lib.* 10. *ibi, Nè ſi contrarium adprobetur per quamcumque machinationem Imperialis Maieſtas minui videatur Merlin. Pignatell. contr. foreuſ. cap.* 100. *num.* 19. Ac etiam in nota-
60 bile detrimentum publicæ vtilitatis, concedendo plenam facultatem extrahendi, & conducendi tam per mare, quam per terram frumenta, & blada non minoris partis dictæ Prouinciæ *l. final. C. ſi contra Ius, vel vtilitatem publicam. l. Iubemus* 10. *C. de ſacr. ſanct. Eccleſ. vbi Bald. ſub nu.* 5. notat non valere priuilegium, ſi includeret caſum contrarium publicæ vtilitati, *quod repetit Barbat. conſ.* 30. *num.* 9. *vol.* 3. *& latè exornat Giron. in tract. de priuileg. num.* 334. Etenim illa, quæ publicam vtilitatem concernunt, nec tolli, nec minui poſſunt *Gabriel conſ.* 184. *num.* 38. *vol.* 2. *Ciriac. dicta controuerſ.* 310. *num.* 65. etiam
61 priuilegio iurato, quod ideò Princeps nō teneretur ſeruare *Beron. conſ.* 138. *num.* 5. *& conſ.* 196. *num.* 30. *vol.* 3. *Ciriac. d. controuerſ.* 310. *ſub eodem num.* 65.

Vel ſaltim fuiſſe reuocabilem ſolo nutu ſucceſſorum, quia ſpeciale eſt in Prin- 62
cipe, vt etiam ſine cauſa poſſit reuocare ſuum priuilegium ex quo alteri Ius quæſitum eſt, quod indubitanter procedit in priuilegijs, per quæ non quæritur Dominium de Iure gentium, ſed ciuili, nempe ex indulto ipſius Principis concedentis *iuxtà diſtinctionem Franciſci Aretin in cap. nouit* 13. *num.* 26. *verſ. vt non fuit quæſitum de Iudic. quam ibi ſequitur Felin. nu.* 8. *verſ. aut verò per priuilegium.* Quapropter
in facultate extrahendi frumenta, & alia 63
ad annonam pertinentia, res ſuaptè natura ſemper dicitur integra reſpectu concedentis, adeout nulla ratione poſſit dici Ius quæſitum irreuocabiliter concesſionario, quin ad nutum Principis concedentis valeat quandocumque reuocari *Marcell. de Maur. alleg.* 38. *num.* 1. *ibique etiam in additionibus Abb. Hieronym. de Maur. Camill. de Curte in diuerſorio Iuris feudalis par.* 1. *§. redeundo num.* 61. *verſ. ſiue quia viſum Regi, &* 63. *verſ. quia tamen.*

Nec pinguius, aut fortiùs Ius acceſſit 64
Ducibus Caſtri ſuper dicta facultate ex literis eiuſdem Pauli Tertij ſuper erectione Ducatus ſub Datum Romæ pridie Kalendas Nouembris anno Incarnationis Dominicæ 1537. Pontificatus 3. & ſuper illius confirmatione ſub Datum 14. Kalen. Ianuarij eodem anno Incarnationis, & Pontificatus 4. licet in earum narratiua dixerit. *Nec non tàm circa grauamen* 65
granorum, ſiuè frumentorum totius Status infraſcripti extractionem, & facultatem, illa ad quacumque loca etiam præfata Romana *Eccleſiæ, & nobis immediatè, vel mediatè ſubiecta conducendi, quàm diuerſas alias facultates, exemptiones, & alia priuilegia, ac indulta conceſſimus &c. caſſatiſue, & annullatis omnibus antiquis Vicariatibus, & Titulis cum Iuribus in totum, vel ex parte aduerſantibus, ſeu limitantibus erectionem dicti Ducatus, remiſſiſque, & extinctis cenſibus,*

Digitized by Google

ſibus, ac obligationibus, & in reliquis priores literas, ac omnes & ſingulas conceſſiones, & omnia & ſingula priuilegia, indulta, gratias, facultates, remiſſiones, abſolutiones, inueſtituras, exemptiones, & libertates approbauerit, & confirmauerit; Certiſſimum quippe
66 eſt, confirmationem non extendi vltrà metas actus confirmati *Bald. in l. nominationes 27. nu. 3. propè finem verſ. illud etiam certum C. de appellat.* ſiuè dicatur nihil de
67 nouo tribuere iuxtà naturam confirmationis, per quam non dicitur à confirmante aliquid dari, ſed corroborari dũtaxat Ius prius quæſitum in ſuo eſſe *l. ſi donata* §. *1. ff. de donat. Bald. in l. ex Placito num. 13. C. de rer. permut. Iaſ. in l. more maiorum num. 26. qui de priuilegijs loquitur ſub num. 30. ff. de Iuriſdict. omn. Iudic. Pariſ. conſ. 19. num. 45. vol. 1.* ſiuè etiam nouum
68 Ius tribuere, vt ſolet admitti in cõfirmatione actus nulli, & inualidi factâ ex certa ſcientia, & cum cauſę cognitione ex *notatis in cap. 1. de confirmat. vtili, vel inutili, et c. veniens verſ. confirmatum de tranſact. cum ſimilibus congeſtis à Gloritio reſponſo 1. par. 1. num. 25. cum ſequen.* Nam ſemper
69 dictum Axioma ſubſiſtit, quod ſiuè roboret ſolum Ius antiquum, ſiuè nouum inducat, neutro caſu mutet indolem prioris conceſſionis, vt de gratioſa habẽte vim ſimplicis priuilegij tranſeat in naturam oneroſæ ex contractu vltrò, citroque obligatorio, cum actus hominum non debeant trahi extra ſuam naturam, & metam, *vt in terminis confirmationis ait Bald. in dicta l. nominationes num. 3. in fine verſ. & actus hominum C. de appellat.* ipſa-
70 que confirmatio dicatur conualeſcentia prioris Entis, *vt ibidem ſubdit Baldus in verſ. Item noto*.

Concluſo igitur ex iam dictis, quod Summi Pontifices potuerunt reuocare facultatem extrahendi frumentũ à Paulo Tertio conceſſam, poſtquam Camera inueſtierat Petrum Aloyſium de Terra Montis Alti, & genericè tantum confirmatam in erectione Ducatus Caſtri, tanquàm merè priuilegiariam & gratioſam, remouendus eſt error in facto ſuppoſitus ab Authore, quod ſcilicet terra Montis Alti ſit cum alijs locis comprehenſa in 71
Ducatu Caſtri, ac ideò aſſertum Ius extrahendi ex ora maritima dictæ Terræ venire poſſit ſub nomine regalium, quæ Paulus III. in illius erectione conceſſit Ducib. Caſtri verbis infraſcriptis; *Necnon Ducalibus inſigniis, honoribus, libertatibus, fauoribus, prærogatiuis, & præheminentiis vniuerſis, ac dignitate, poteſtate, iuriſdictione, authoritate, & conceſſione, ac etiam cuiuſcumque gradus ſupremi, meri, et mixti Imperii, omniumque, & ſingulorum etiam impoſitionis nouorum vectigalium, Pontium, tranſitus, et paſſus, gabellarum, datiorum, et etiam ad cuſſionem tam aureæ, quam argenteæ monetæ, ac aliorum quorumcũque etiam maiorum Iurium, etiam regalium nuncupatorum &c.*

Animaduertendum quippè eſt, neque in cedula Motus proprij ſignata manu eiuſdem Pauli Tertij, neque in litteris eius vigore expeditis pridiè Kalẽdis Nouembris vt ſuprà, recenſeri Montem Altum inter loca, ex quibus ſimul vnitis facta fuit erectio Ducatus nam verba formalia dictæ cedulæ hæc ſunt, *Et vt tàm* 72
ipſe Petrus Aloyſius iunior, quam Octauius prædicti, et alii ſui filij, et ſucceſſores primogeniti perpetuis futuris tẽporibus aliquâ maioris dignitatis potiantur prærogatiuâ, Caſtrenſem, et quæ etiam alias titulo Ducatus dictâ auctoritate Apoſtolicâ inſignita extitit, Nepeſinam Ciuitates, ac Canini, Gradularum, Abbatiæ ad Pontem, Valentani, Lateræ, Pinzani, Caſſani, et Taſſani, et Terram Marthæ cum Roccha Canarij, nec non quæ ſemper eorundem Raynutij antiquioris, et aliorum maiorum Prædeceßorum *noſtrorum prædictorum, et noſtra allodia fuerunt, et erunt, nec Sedi Sedi Apoſtolicæ Romano Pontifici.*

tiſici. (Cuius tamen contrarium oſtendi poteſt ex publicis documentis) *aut Imperatori, vel alicui alteri* Principi, *Dominio, vel Domino in temporalibus ſubſunt, nec quoquo modo ſuperiorem recognoſcunt, etc. Caput Mōtis, Biſentiu n, Theſoii Zanninū*, Pigennam, *Manzanum*, Piazzanum, *Arlenam, et Ciuitellam, ac quas, et quæ ipſe* Petrus *Aloyſius de proximo, emptionis, vel alio titulo acquitere proponit, et intendit, cum alias acquiſierit, ex nunc prout ex tunc, et ab illa die, qua illas, ſiuè illa acquiſierit in literis latiſſimè etiam cum titulis, ſituationibus, et confinibus, ac verioribus vocabulis exprimenda, Caſtra, Oppida, Terras, et loca prædicta, & etiam cum* Palatio *noſtro Vrbis, ac vniuerſis aliis immobilibus ſeque mouentibus, & mobilibus, bonis tam hic in Vrbe, quàm extrà illam vbilibet exiſtentibus, &c. Ità quod vnicum tantum corpus ſit &c. vnimus, annectimus, & incorporamus, & ſic vnitum, annexum, & incorporatum ad inſtar aliarum Ciuitatum, et Terrarum Ducatus titulo, dignitate, et honore fulgentium perpetuò erigimus, et inſtituimus, et omni Ducatus Iure, facultate, nomine, titulo, Inſigniis, honoribus, et præheminentiis vniuerſis inſi-*
73 *gnimus, &c.* Literarum verò ſunt infraſcripta, *Et vt tam ipſe* Petrus *Aloyſius iunior, quàm Octauius prædicti, et alii ſui filii, et ſucceſſores* Primogeniti *perpetuis futuris tēporibus aliqua maioris dignitatis potiantur prærogatiua, Caſtrenſem, et quæ etiā alias titulo Ducatus authoritate Apoſtolica inſignita extitit Nepeſinam Ciuitates, ac Canini, Gradularum, Abbatiæ ad Pontem, Valentani, Lateræ, Pinzani, Caſſani, et Taſſani, ac Inſulam cum* Terra *Marthæ, et Roccha Canarij; nec non quæ ſemper eorumdem Ranutij antiquioris, et aliorum maiorum prædeceſſorum noſtrorum prædictorum, et noſtra allodia fuerunt, et ſunt, nec Sedi prædictæ, Romano* Pontifici, *aut Imperatori, vel alicui alteri* Principi, *Dominio, vel Domino in temporalibus ſubſint, nec quoquo modo Superiorem recognoſcunt, ad effectum erectionis Ducatus infraſcripti ſolùm, et dumtaxat, et non aliàs aliter, nec alio modo &c. Caput Montis, Biſentium*, Theſei, Pigennam, *Manzanum*, Piazanum, *Arlenam, et Ciuitellam, etiam cum ſingulis illarum, et illorum* Territorijs, *et diſtrictibus vniuerſis earundem Tuſculaneñ, & Montis flaſconen. & alterius Diæceſis, Caſtra, &* Terras, *ac loca prædicta, ac etiam cum* Palatio *noſtro Vrbis, & vniuerſis aliis immobilibus ſeque mouentibus, & mobilibus bonis tam hic in dicta Vrbe, quàm extrà illam vbilibet exiſtentium. Ità quod vnicum tantum corpus ſit &c. tenore præſentium perpetuò inuicem vnimus, annectimus, et incorporamus, ac ſic vnita, annexa, et incorporata ad inſtar aliarum Ciuitatum, &* Terrarum, *Ducatus* Titulo, *dignitate, et honore fulgentium perpetuò erigimus, ac Ducalibus nomine*, Titulo, *Iuribus, facultatibus, inſignijs, honoribus, prærogatiuis, antelationibus, et præheminentijs vniuerſis inſignimus, et decoramus etc.*

Ex quibus apertiſſimè conſtat, Paulum 74
Tertium noluiſſe Oppidum Montis alti includere ſub erectione dicti Ducatus, ſed ſolum in Primogenitura ab eo inſtituta in dicta cedula, cum dixerit; *Volumus, et ordinamus quod Ducatus huiuſmodi vnà cum omnibus Caſtrenſi, et Nepeſina Ciuitatibus, ac Canini, Gradularum Abbatiæ ad* Pontem. *Pinzani*, T*aſſani, Caſſani; Marthæ cum Rocca Canarij, Lateræ, Caprarolæ, Roncilionis, Caput Montis Biſentii*, Theſei, *Zannini*, Pigennæ, *Monzani*, Pianzani, *Arlenæ, et Montis Alti, Griptarumque; ſiuè Oppidis*, Terris, *et locis prædictis cum Vaſſallis, etc. in ſolidum ipſi Octauio, et poſt ipſum ſuo Primogenito, ſucceſſiuèque in perpetuum apud alios* Primogenitos *Ducis, vt præfertur remanente etc.* Et ſic plura loca 75
diſcretiuè expreſſerit in erectione primogenituræ, quæ nullatenus expreſſerat in erectione Ducatus, nam talis diſcretiua

demon

demonſtrat noluiſſe in vtraque idem diſponere, ſed ab vna ſecludere, quæ literaliter incluſit ſub altera *argumento l. vnica §. ſit autem ad deficientis C. de caduc. tollen. cum ſimilibus relatis à Surdo conſ. 466. ſub num. 7. verſ. ſi ergo, et 8. vol. 4.* maximè
76 quia natura termini diſcretiui eſt excludere, & ſeparare *Bald. conſ. 495. num. 11. in fin. et 12. vol. 8. Surd. conſ. 426. num. 1. vol. 3.*

77 Nec refert quod in poſterioribus literis expeditis ſuper cõfirmatione erectionis præfati Ducatus poſt verbum, *Et Ciuitellam*, ſit additum, *ac Montis Alti, & Griptarum*, quia huiuſmodi additio non eſt attendenda, vt potè euidenter erronea, quia repugnat, & directò aduerſatur litteræ ipſius erectionis confirmatæ, tàm ſcilicet in dicta cedula Motus proprij ſignata manu Pauli Tertij, quæ ſola in hoc eſt matrix, ac prima ſcriptura, quàm in
78 literis eius vigore expeditis; Error enim manifeſtè deprehenditur, quoties referens differt à relato. *Alex. conſ. 83. num. 1. verſ. modus autem vol. 1 Dec. conſ. 63. n. 6. Curt. conſ. 192. num. 21. Gregor. XV. deciſ. 522. num. 6. Buratt. deciſ. 282. num. 2.*

79 Duo autem corollariè ſequuntur ex non comprehenſione Terræ Montis Alti ſub erectione Ducatus Caſtrenſis. Primum, quod ſteterit intrà fines aſſertæ prioris conceſſionis in feudum ad quartam generationem maſculinam dicti Petri Aloyſij terminaturam cum vita præſentis Ducis, cum pacto, quod directum Dominium, & ciuilis poſſeſſio illæſa remanerent Cameræ, eaque ſuos ſolitos, & conſuetos peouentus haberet, & onere annuatim ſoluendi, pro illius cenſu ſeu Canone, craterem argenti puri vnius libræ, reficiendi Arcem dictæ Terræ, ibiq. retinendi præſidium viginti equitum pro tuitione, & defenſione Affidatorum, & Dohanæ, tempore quo inibi eos permanere contingeret; Deindè verò in reliqua parte anni, quo illi receſſerint, octo equitum pro tuitione Colonorũ, & meſſis, expellendi Corſos, & tàm ab illorum quàm Pyratarum, & Infidelium, inſultibus, moleſtijs, & deprædationibus ipſam Terram cum ſuo Territorio pro ſuo poſſe tuendi, & defendendi, cui propterea non 80
poſſunt conuenire ea, quæ author dicit in hac prima, & tertia parte de conceſſione regalium cum plenitudine poteſtatis, & ſupremi Dominij; Permanſit enim ſub lege ſimplicis feudi deuoluendi per finem quartę generationis maſculinę dicti Petri Aloyſij.

Alterum, quod attendenda ſit noua 81
conceſſio poſt quinquennium ab erectione dicti Ducatus nempe 26. Aprilis 1542. eidem Petro Aloyſio facta per Cameram ſub rogitu Honuphrij Vigil Notarij eiuſdem Cameræ, & illius confirmatio ſubſecuta ſub Datum anno prædicto 1542. ſexto Idus Iunij, & Pontificatus Pauli III. octauo, in qua licet pro potiori cautela de nouo inueſtiuerit dictum Petrum Aloyſium, & filios in quartam generationem maſculinam; nullum tamen verbum fecit de aſſerta facultate extrahendi, Imò ſe arctiſſimè reſtrinxit ad ea ſolùm, quæ continebantur in prima notula, & dicto Inſtrumento rogato per Vigil, nihil penitùs de ea loquentibus, iniũxitque onus ſoluendi dictum craterem, ibi. *Et nihilominus potiori pro cautela Petrũ* 82
Aloyſium Ducem, illiuſque filios prædictos in dictam quartam generationem maſculinam, à filijs vt præfertur incipiendo, Oppidum Montis alti prædictum, etiam vnà cum omnibus, & ſingulis alijs in dicta nota comprehenſis, & contentis, tàm iuxtà, & ſecundum tenorem eiuſdem notæ, & contentorum in ea, quàm alias prout, & quemadmodum in vltimo dicto Inſtrumento latius, & pleniùs continetur, cum reſeruationibus, & aliis in vltimo dicto Inſtrumento contentis cum onere dictum craterem ſoluendi authoritate Apoſto-

D lica,

Digitized by Google

lica, & tenore præmiſſis de nouo inueſtimus, & concedimus; Ex prædictis enim patet, haud poſſe Ducem prætendere Ius extrahendi non expreſſum in hiſce nouiſſimis
83 inueſtituris Cameræ, & Pauli III. Et iam pridem incidiſſe in commiſſum, quia nunquam ſoluit dictum craterem iuxtà
84 mandatum Pauli Tertij in hoc poſtremo actu, qui arguit noluiſſe eum comprehendere ſub generali remiſſione cenſuũ facta in erectione Ducatus, ſicut noluit ipſum Oppidum comprehendere ſub dicta erectione.

Cæterùm ſi illæſa veritate poſſet dici pars Ducatus Caſtrenſis, ac ipſa facultas extrahendi venire ſub dicto nomine re-
85 galium in genere *aduerſus notata per Lofredum conſ.24.ante num.1. verſ.tanto fortius Maſtrill.de Magiſtrat.lib.5.cap.9.num. 37.verſ.nec in conceſſione, & Montan. de regul.Iuris verb.portus num.3.* Qui negant includi, niſi de illa fiat ſpecifica, & expreſſa mentio tanquàm reſeruata ſupremæ
86 Dignitati Principis, cui inhæret clauſura, & apertura Portuum *Capic. in Inueſtitura, verb.portubus, quem in propoſito refert, & ſequitur Camill. de Curt. in diuerſ. Iur. feud. d §. redeundo num. 55. in fine, et 56.* quod fortius procedit hoc caſu, cum de huiuſmodi facultate fuerit ſpeciatim di-
87 ſpoſitum antè conceſſionem omnimodæ Iuriſdictionis, ac Iurium maiorũ, etiam regalium nuncupatorum, quia generalis conceſſio non comprehendit ea, de quibus erat ſpecialiter prouiſum *l. doli clauſula, vbi Doctores ff. de verb. obligat. cum ſimilibus per Surd.conſ. 313. num.76. vol.3.* quarè *Bald.in l. Emptorem num.15. C. locati*, inquit, quod ſpecialiter deno-
88 minatum à genere videtur eſſe diuiſum, nec venit ſub nomine generali.

Adhuc eſſet reſpondendum in Pro-
89 uincia Patrimonij viguiſſe antiquam cõſuetudinem non extrahendi frumentũ, & cætera ad annonam, & graſciam pertinentia adeò ſeueram, vt neque admitteret delationem de loco ad locum intrà limites eiuſdem Prouinciæ, niſi cum licentia Rectoris, ea de cauſa inductam, vt frumentum ibi recollectum preſtò eſſet Annonæ Vrbis, & loci, in quo Curia Romana degeret, quemadmodum probatur ex decreto Bonifacij Octaui ſub 90
die 20.Ianuarij 1299. quo prohibuit, nè bladum, vel Annonæ graſcia extraheretur extrà terminum Patrimonij, niſi exportaretur ad locum, in quo Curia Romana moraretur, vel ad Vrbem, nec etiam intra illum de loco ad locum, dũmodo adeſſet fraus, vel abeſſet licentia Rectoris; ac etiam ex libro Theſaurarij eiuſdem Patrimonij confecto ſub Ioanne XXII. per quem patet dictam conſue- 91
tudinem fuiſſe in viridi obſeruantia in omnibus locis, in quibus poſteà erectus fuit Ducatus Caſtri; Ex hoc enim inſur- 92
git veriſſima concluſio, quod ſi dicta facultas extrahendi, tacitè poſſet venire ſub nomine regalium conceſſorum in erectione Ducatus Caſtrenſis, nihilominùs eſſet intelligenda ad limites dictæ conſuetudinis, nempè de loco ad locum Prouinciæ Patrimonij, & ad Vrbem, vel alterum locum, in quo maneret Curia Romana, cum certum ſit feudum ſortiri naturam à conſuetudine Prouinciæ, vbi 93
ſtat locus conceſſus *Oldrad.conſ. 159.n.9. verſ. Et ſi de conſuetudinibus Albert. Brun. conſ.81. num.fin. lib.1. et conſ.135. ſub §. et vbi conſtaret, et conſ. 191. per totum lib. 2.*

Quod clarius firmatur animaduertẽ- 94
do Paulum Tertium plenè conſcium dictæ cõſuetudinis in literis erectionis Ducatus, approbando facultatem extrahendi frumentum ad quæcumque loca, ſuperaddidiſſe *etiam præfata Romana Eccleſia, et nobis immediatè, vel mediatè ſubiecta*, nè ſcilicet coarctaretur ad loca ſolius Prouinciæ Patrimonij, Vrbem, ac vbi degeret Romanus Pontifex cum Curiâ

per-

Digitized by Google

permiſſa vigore dictę conſuetudinis cum licentia Rectoris, & carentia fraudis, ſed vltra illa, etiam comprehenderet reliqua omnia loca Ditionis Ecc eſiaſticæ tàm immediatè, quàm mediatè ſubiecta, Idq.
95 expreſſit dicta implicatiua (etiam) quæ ſicut præcedentem orationem ampliat ad ſequentia: Ità quoque in illa implicat eamdem qualitatem expreſſam in poſteriori *l. etiam ff. de verb. ſignificat. l. etiam C. ſi Tutor, vel Curator cum concordant per Barboſ. dictione 95. num. 4.* ac ideo clarè demonſtrat, ſenſum Pauli Tertij fuiſſe priorem cõceſſionem dictæ facultatis (quam fecerat ad limites dictæ conſuetudinis, & decreti Bonifaciani pro locis Prouinciæ Patrimonij, Vrbe, & alio in quo ſtaret Curia Romana) ampliandi indiſtinctè ad omnia, & ſingula loca Status Eccleſiaſtici tàm immediata, quàm mediata, Nec refert, quod in priori dixerit per mare, & per terram, quia frumentum ex Monte Alto ad Vrbem vehitur per mare, non autem per Terram, idemque etiam potuiſſet contingere quoad alium locum, in quo tunc Curia maneret; Vnde ſequitur non poſſe ſub tacita cõceſſione dictæ facultatis nomine regaliũ contineri quid amplius, quàm fuerat expreſſè cõceſſum poſt inueſtituram Montis Alti, nempè extrahendi iuxtà dictam cõſuetudinem abſque ſolutione pedagij, & gabellæ; alias enim dicendum eſſet, quod Paulus Ter-
96 tius reſpectu eiuſdem facultatis plus conceſſiſſet tacitè, quàm expreſſè, quod neutiquam videtur admittendum *ſecundum Baldum in l. hac edictali nu. 8. C. de ſecund. nupt.* Quarè ſine difficultate poteſt aſſeri ſub dictis reuocatorijs cõtineri aſſertam facultatem extrahendi è Statu Eccleſiæ, quam Dux Caſtri vult tacitè ſumere ex generali conceſſione regalium, cum limites veriſimilis conceſſionis omninò egrediatur.

97 Et hic liceat ſub oculis legentium ponere quantùm Gerentes negocia Ducis Caſtri abuterentur dicta facultate extrahendo frumentum per mare ad ditiones exteras, dùm Paulus III. illam ampliando, & extendendo non exceſſit fines Status Eccleſiæ, adeòut quamuis publica Annonæ cauſa non ſuaſiſſet Sanctiſſimo peruigili eius Cuſtodi, vt mandaret Cardinali Camerario, quod dictas Conſtitutiones ediceret in Ducatu Caſtri, iſte ſolus abuſus eidem ſatis ſuperque fuiſſet ad idem publico Edicto prohibendum pro munere ſui officij.

At ſi vlterius admitteremus ſub conceſſione regalium comprehenſam fuiſſe 98
dictam facultatem extrahendi ſimpliciter; non autem ad limites præfatæ conſuetudinis, & ſic indè argui poſſet, Duci Ius quæſitum fuiſſe ex conceſſione feudali; adhuc tamen Pontifices præfati valuiſſent illud comprehendere ſub eorum reuocationibus, quia Agentes pro Camera Apoſtolica non prętendunt ex illis ſublatum eſſe Ius portorij, ſeù gabellæ (ſi 99
quod Ducibus Caſtri de Iure deberetur) ratione loci, ex quo frumentum exportatur quando extractio legitimè fieret de licentia Summi Põtificis, quod nil aliud eſt, quàm Ius exituræ quod comprehenditur ſub conceſſione regalium *Lofred. d. conſ. 24. nu. 15. circa med. verſ. quid ergo eſt aliud, & num. 18. verſ. cum vt vſu videmus*, ſed dicunt ſolum, quod ipſi Duces nequeunt extrahere ſine dicta licentia, minusuè alijs concedere Ius extrahendi frumentum è ſtatu Eccleſiæ, nam abſq. dubio potuit hoc ſecundum reuocari, quia nunquam irreuocabiliter conceſſum fuit Ducibus Caſtri.

Generale enim eſt quod quicquid 100
Principi inſeruit pro adimplemento ſuæ obligationis ergà ſubditos, Ità cohæreat ſupremæ dignitati Principatus *Camillus de Curte in Diuerſorio Iuris feudalis, §. 9. ſub num. 51. Fulu. Conſtant. in l. 1. ſub n. 27.*

C *pen.*

Digitized by Google

C.pen. Fiſcal. creditor.praefer. lib. 10. vt ne-
que volens poſſit illud irreuocabiliter
101 transferre in alium, quia dependentia à
ſuprema poteſtate, de ſui natura dicuntur
conceſſa precariò, & reuocabiliter, ac po-
tiùs ad libitum communicata, quàm da-
ta *iuxtà ſingularem doctrinam Baldi in l.qui
ſe patris num.24.C.vnde liberi, quam omnes
102 ſequuntur*; Cum ergò ſumma Principum
obligatio in ſubditos ſit conſeruandi ea,
quæ pro humani generis alimẽtis à Deo
præſtantur *Afflict.in cap.1. §.poſt natale
num.1.de pace tenen. Camill. de Curte dicto
103 §.9.ſub num.*53.adeòut Philoſophus *Poli-
ticorum lib. 6. et 7. vtrobique cap.* 8. omnes
ferè moderationis curas reſtrinxerit ad
104 Annonæ ſtudium, non erit hæſitandum,
quin dictæ facultates extrahendi frumẽ-
tum tanquam de reſeruatis ſupremæ po-
teſtati pro bono publico, quoquo modo
concedantur, ſemper ſubiaceant liberæ
reuocationi concedentis *ſecundum Mar-
cell. et Hieron. de Maur. ac Camillum de
Curte ſupra allegatos ſub num.*63.

105 Vel ſaltim non poterit in dubium re-
uocari, quin iſtud Ius extrahendi frumẽ-
tum, licet acquiſitum ex contractu feu-
dali, conſideratum vti ſubiectum paſſiuũ
prohibitionis, quam ſupremus Princeps
facere poteſt per viam legis vniuerſalis
gratia boni publici, tolli poterat dictis
Conſtitutionibus Apoſtolicis, vt in ſpe-
cie à Senatu Mediolanenſi ex hoc funda-
mento deciſum fuiſſe pro Duce Sabau-
diæ contra eius feudatarium refert *Me-
106 noch.poſt conſ.*604.*vol.*7. vbi per extenſum
tranſcribit votum Senatus, quia Princeps
ex cauſa publicæ vtilitatis ſtatuere poteſt
etiam contra Ius naturale, & gentium ex
*notatis in l.Item verberatum 15. in princ. ff.
de rei vindicat. & in l.Lucius 11. ff.de euict.
Bart.in l.1.num.3 & 4.ff.de conſtit.Princip.
Bald.in l.reſcripta num.9.C.de precib. Impe-
ratori offeren. & alii cumulati per Bellon.
iun in ſæpè citato conſ.5.nu.6*3.ac vbi ſubeſt
bonum publicum valet liberè recedere 107
à regulis Iuris *l.Ita vulneratus 51.§.multa
ff.ad l.aquil.Bellon.d.conſ.5. num.*65. & per 108
viam legis tollere Ius quæſitum ſubdito,
*Carol.Tap.deciſ.*10. *num.*33 *cum aliis alle-
gãdis in tertia parte*, alias ſequeretur, quod
Princeps ademiſſet à ſe Ius ferendi leges,
quod non eſt admiſſibile, cum non va-
leat ſe priuare ſuprema poteſtate Princi- 109
patus inſeparabili ab eius Corona, & Im-
perio, etiam ex voluntate præciſa, *ex latiſ-
ſimè congeſtis per Menoch.d.conſ.*604 *à n.*2.
vſque ad 16. *in terminis legis latæ ſuper ex-
tractione frumentorum*.

Et ſanè hoc caſu experientia rerum 110
magiſtra docuit, quod ab obitu Pauli
Tertij vſque ad matrimonium contractũ
cũ Aldobrandina, Duces Caſtri vſi fue-
runt dicta facultate extrahendi frumen-
tum ſubordinatè legibus, ac Edictis ædi-
tis circa rem frumentariam per Camera-
rium, & Cameram, & poſt dictas reuoca-
torias, ex ſpeciali indulto temporali à ſin-
gulis obtento ad vitam, vt benè ex iſta
obſeruantia tãquam interpretatiua præ- 111
cedentis conceſſionis valeat dignoſci,
quid, quantum & quomodo per illam
fuerit ab initio tributum, & quæſitum
Ducibus Caſtri *Menoch.conſ.*104. *nu.*12.
*verſ.*4. *cum ſequen. vol.*1.*conſ.*400.*nu.*12.
*vol.*4.*& conſ.*745.*nu.*38.*et* 39.*vol.*8.*Bel-
lon.iun. conſ.*9. *num.*21. *& Ronſental. de
feud. cap.*5. *concluſ.* 5. *num.* 15. *& concluſ.*
14.*num.*7.

Nec proindè vrget in contrariũ quod 112
Clemens Octauus in dictis ſuis literis ex-
peditis die 4.Decembris 1599. inhærens
relationi, ac voto dictæ Congregationis
declarauerit Raynutio, Duci Caſtri, ſuiſ-
que ſucceſſoribus extractionem frumen-
ti licitè, & liberè competijſſe, & compe-
tere ex literis Eugenij Quarti, & Pauli
Tertij, idque obſeruatum fuiſſe tempore
ſuorum Prædeceſſorum abſque vllo im-
pedimento, ac poſt Pium IV. & V. Duces

Caſtri

Digitized by Google

Caſtri retinuiſſe huiuſmodi quaſi poſſeſſionem, non obſtantibus inhibitionibus Cameralibus; Ideòque illis nullum impedimentum inferri, aut fieri potuiſſe, nec poſſe à Camera Apoſtolica, ſeù quocunque alio vigore quarumcumque prohibitionum; & quatenus opus eſſet, huiuſmodi facultatem de nouo conceſſerit, Et ſucceſſiuè die vltima Maij 1602. per ſuum Chirographum iuſſerit Cardinali Camerario, & Clericis Cameræ vt ad euitandas differentias, quæ poſſent oriri inter Cameram, & Ducem Caſtri ſuper extractionibus frumentorum ei competẽtibus ex dictis literis Eugenij IV. Pauli Tertij, & ſuis, caſu quo Vrbs penuriâ laboraret, & tritico egeret, cum illo inirent quædam capitula ſuper modo recipiendi frumentum pro vſu Vrbis tantum, & ſuper eius pretio, quæ Author refert per extenſum.

Nam hæc tria ſingillatim examinando, declarationem ſcilicet Iuris prius cõpetentis, nouam conceſſionem, & contractum mox initum, liquidò apparebit, Ducem Caſtri eis minimè iuuari.

113 Quo enim ad declarationem, notoria eſt falſitas cauſæ, ex qua Clemens VIII. ſe ad illam faciendam induxit; ſuppoſitum quippe fuit ei Primò dictam facultatem competere Ducibus Caſtri ex literis Eugenij IV. & Pauli Tertij, & tamen quoad illas Eugenij, conceſſio erat iamdiù penitus extincta, & quoad alteras Pauli, remanebat merè gratioſa, & ſic

114 abſque dubio reuocata. Secundò quod Duces Caſtri illa vſi fuerunt liberè temporibus diuerſorum Pontificum; Et nihilominus ex ſupra deductis liquet antè dictas reuocatorias, petijſſe licentias à Cardinale Camerario, poſt illas verò, ſingulos obtinuiſſe ſpeciale indultum ad vi-

115 tam expiraturũ cum morte. Tertiò quod poſt Pium Quartum, & Quintum ſemper retinuerunt quaſi poſſeſſionem extrahendi abſque vllo impedimẽto, & tamen ſedente Gregorio XIII. ad inſtantiam Commiſſarij Cameræ petentis declarari non licuiſſe, nec licere Duci Caſtri extrahere frumentum, & citato Claudio Tibaldutio Procuratore Ducis Octauij, eoque contradicente ſub die 11. Octobris 1580. Spinula Iudex deputatus inhibuit Duci, eiuſque Miniſtris ſub pœna ducatorum mille auri de Camera, & alijs contentis in Bulla Pij Quarti, & excommunicationis, nè frumẽta, vel Blada ex Terra, & Portu Montis Alti extraherent, neuè facultatem extrahendi cõcederet, etiam ad loca Status Eccleſiaſtici; Quamobrem 116
ille cæterorum inſtar, à præfato Gregorio petijt licentiam extrahendi rubra 3000. frumenti die 18. Decembris 1583. & 2500. die 24. Nouembris 1584. ac etiam à Sixto Quinto rubra 2000. die 9. Maij 1587.

Nimirum ſi machina dictæ declara- 117
tionis tota ruit ex defectu intentionis tãquàm nixa falſis fundamentis, nàm retorquentur omnia, quæ Author ſuper illo congerit in primo articulo tertiæ partis.

Quò verò ad nouam conceſſionem, ſublatis è medio cauſis prædictis, dupliciter reſpondetur.

Primò corruere ex eodem defectu in- 118
tentionis, cum ab eodem fonte emanauerit cum clauſula, quatenus opus ſit; Nam eius validitas pendet ab vno, & eodem principio.

Secundò ex abundanti quod ſolum 119
poſſit ſubſtineri ex mera gratia, & priuilegio dicti Pontificis, quod propterea potuit deinceps reuocari per ſubſequentes Conſtitutiones Pauli V. & Sanctiſsimi *cap. ſi is cui de praben. in 6. Cyn. & Alberic. in l. digna vox C. de legib. cum alijs per Natt. conſ. 657. num. 13.*

Tandèm quoad contractum, quem 120
tanti facit Author, ac ſi Dux Caſtri in eo

Cameræ remiſerit aliquid de ſuo, dùm è
conuerſo plurimùm ab ea iniuſtè extor-
ſit, dicendum eſt corruere cum dicta
declaratione, ex qua vti ſequela deriua-
uit, nec eſſe de illis oneroſis exceptis in
dictis Conſtitutionibus, ſcilicet ex cauſa
veræ ſolutionis, & exburſationis pecu-
niarum, dùm potius conſtat in ſingulis
capitulis eſſe præiudicialem Cameræ, &
quidem tàm reſpectu vſus frumenti re-
ſtricti pro indigentijs ſolius Vrbis, cum
tamen, etiam in ſuo robore exiſtente præ-
121 tenſa facultate extrahendi quoquo mo-
do conceſſa, eius effectus limitandus eſ-
ſet in caſu indigentiæ cuiuslibet partis
Status Eccleſiaſtici, cui Summus Ponti-
fex tanquàm Princeps pariformiter con-
ſulere debet *Io. de Platea in l. quis per Diui-
nam num. 3. ſub fine. verſ. & nota hic C. de
aqueductu lib. 11. Io. Franc. de Ponte de po-
teſt.* Proreg. *tit. 5. num. 5. verſ. hæ enim con-
ceſſiones. Maſtrill. de Magiſtrat. lib. 5. c. 9.
num. 56. verſ. id tamen prætereundum non
erit. Giurb. de ſucceſſion. feud. prælud. 2. n. 24.
verſ. verum hoc extrahendi*, quàm reſpe-
ctu pretij taxati in ſumma valoris cur-
rentis Genuæ, Piſis, Lucæ, Neapoli, Via-
regij, & Liburni, in vno, vel altero eo-
rum per Ducem eligendo, in quibus ſẽ-
per frumentum pluris vendi ſolet, quàm
in Prouincia Patrimonij, & nihilominus
de Iure communi poteſt cogi Dux ad vẽ- 122
dendum triticum communi pretio *Luc.
de Pen. in l. vnica circa fin. verſ. poſt ipſam,
ibique Franc. de Amaia num. 21. et ſequen.
C. vt nemini liceat in empt. Spec. ſe excuſ.
lib.* 11. & quidem viliori, tempore penu-
riæ *Luc. de* Penna *vbi ſupra in fine verſ. hoc* 123
*verum puto, Natt. conſ. 435. num. 28. verſ.
niſi id fiat. Maſtrill. de Magiſtrat. lib. 3.
cap. 5. num. 76. Vincent. de Franc. deciſ. 9.
num. 1.*

Ex quibus omnibus, cum liquidò cõſtet de comprehenſione facultatis extrahendi frumentum, quoquo modo conceſſæ Duci Caſtri, ſub Conſtitutionibus Apoſtolicis, ceſſant omnia deducta in hac prima parte aduersùs Edictum Cardinalis Camerarij, qui eas tanquam leges vniuerſales, & potuit, & debuit eidem inſinuare.

PARS

Digitized by Google

PARS SECVNDA.

Qua oſtenditur legitimè actum fuiſſe pro extinctione Montium.

SVMMARIVM.

Veritas per ſe ipſam ſe defendit num. 1.

Clemens VIII. in erectione montium Plani Abbatiæ, & Farneſii iuſſit, quod Dux Raynutius teneretur eligere Depoſitarium in Vrbe idoneum num. 3. & 8. qui in forma C.A. ſe obliget de ſoluendo Montiſtis fructus bimeſtruatim debitos nu. 5. et 10. eique ad hunc effectum conſignari facere redditus Status Caſtri, et Roncilionis n. 4. et 9. etiam cum expreſſa obligatione Conductorum pro tempore d. Status de ſoluendo illius penſiones dd. montium Depoſitario num. 6. et 12.

Idemque conceſſit Duci facultatem quandocumque poſt lapſum octo annorum redimendi Montem Plani Abbatiæ num. 7. et legem impoſuit curandi per ſeptemnium, et vltrà multiplicari reſiduum fructuum d. Status, vt intra ſpatium duodecim annorum teneretur redimere Montem Farneſium num. 11. & 13.

Qui Dux Raynutius deputauit in Depoſitarium vtriuſque Montis Tiberium Ceulum, & in eius defectum promiſit eligere æquè idoneum num. 27. & 34. & ſingillatim ſe obligauit ad omnia ſuprà diſpoſita per Clementem à nu. 27. vſque ad 38. conſenſitq. in mandatum executiuum relaxandum vnica citatione, & intimatione præcedente, voluitque teneri ad omnia damna, & intereſſe n. 31. et 37.

Nunquam tamen dicto Depoſitario fuerunt conſignatæ pecuniæ redigendæ ex redditibus dd. Statuum, nec factum multiplicū à num. 57. per totum num. 60.

Sanctiſſimus remiſit Duci Odoardo præcedentem omiſſionem dd. multiplici, & extinctionis num. 14. iſtamq. cum eodem onere prorogauit ad alios duodecim annos nu. 6. eidemq. conceſſit facultatem augendi mōtem Farneſium ad alia loca ſexcēta n. 15. extinguenda quoque intra dd. duodecim annos prorogatos, mediante præfato multiplico nu. 18. tūm rurſus ad alia loca mille ſimili modo extinguenda tribus annis poſt dictos duodecim num. 19.

Et Dux promiſit ſoluere fructus dd. locorum addiorum num. 38. 39. 42. & 43. illaq. mediante multiplico extinguere ad formā præſcriptam num. 40. & 44. conſenſitque in mandatum relaxandum vnica citatione, & intimatione num. 41. ſed nunquam depoſuit ratam multiplicandam, neque obligari fecit Conductores ad illam ſoluendam Depoſitario dd. Montium num. 61.

Eidemque Duci Odoardo conceſſit Sanctiſſimus facultatem erigendi nouum Montem Farneſium, vt poſſet extinguere antiquos num. 20.

Sed legem impoſuit, quod deputaret Depoſitarium in Vrbe idoneum, ad cuius manus perueniant ex redditibus Status Caſtri, & Roncilionis annua ſcuta 68126. 50. num. 92. qui de illis ſoluat fructus bimeſtruatim debitos Montiſtis num. 23. & reſiduum multiplicet per ſepteinnium, & vltrà, dummodo duodecim annos non excedat ad effectum illum extinguendi num. 21. & 24.

Item iuſſit quod Conductores dd. Statuum, tam præſentes, quàm futuri deberent ſe obligare de ſoluendo d. Depoſitario, quodue illi locationum inſtrumenta conſignētur n. 25.

Dux

Digitized by Google

Dux ad omnia præſcripta per Sanctiſſimum, ſingillatim ſe obligauit à num. 45. vſque ad 53. elegit in Depoſitarios Ioannē Grillum, & Hieronymum Martellum n. 46. & in eorum defectum promiſit eligere aliū in Vrbe idoneum num. 48. & conſenſit in mandatum relaxandum vnica citatione cum electione ſui Palatij Vrbis pro domicilio vbi eſſet citandus num. 52.

Grillus, & Martellus promiſerunt Duci extinguere montem Plani Abbatiæ intra quatuor menſes, Farneſium autem infra annum, & interim ſoluere fructus n. 53.

Dux autem ſolum promiſit eis pro fructibus locorum extinguendorum ſoluere annua ſcuta 58126. 50. bimeſtruatim in principio, ſeu fine cuiuslibet bimeſtris ſuo arbitrio num. 55. conuenitque cum eis de modo faciendi multiplicum, nulla tamen promiſſa, ſeu aſſignata pecunia ad hunc effectum num. 56. & 62. ac minimè etiam adimpleto, quod Conductores ſe obligaſſent ſoluere dd. Depoſitarijs ſummam debitam pro fructibus, nedum pro multiplico extinctionis num. 63.

Dux de nouo Monte diſtraxit plura loca, quàm redemerit ex antiquo num. 64.

In defectum Martelli, & Grilli non deputauit alium Depoſitarium, nec poſt iudicialem interpellationem num. 66.

Nunquam requiſiuit Siros ad ſoluendum Montiſtis num. 67. neque illos ſe eius debitores publicè recuſantes voluit conuincere num. 68.

Debet ſibi imputare emptionem frumenti factam à Siris per Præſidentem Annonæ num. 70. nec conſtat huiuſmodi frumentum fuiſſe hypothecatum Montiſtis n. 68. nec recollectum ex bonis Ducis nu. 71.

Hypotheca eſt pediſſequa debiti, & actionis perſonalis pro eo competentis, nec poteſt abſque illa ſuſtineri num. 69.

Siri habebant facultatem, vt dicitur, incettandi frumentum in Prouincia Patrimonii num 71.

Probatio æquiuoca, & dubia nō releuat n. 72.

Refertur forma iudicij inſtructi, & terminati contra Ducem pro extinctione Montium num. 73.

Dux potuit cogi ad dictam extinctionem de Iure cōmuni, tùm ex obligatione ad damna, & intereſſe num. 74. & 75. tùm ex defectu cauſæ finalis n. 76. & 77. tùm ex abuſu gratiæ n. 78. ac vigore Conſtitutionum 41. Clementis VIII. n. 79. 80. & à nu. 85. vſque ad 106. & Pauli V. ſuper erectione Cōgregationis Montium n. 107. & ſequen. Nec non ex ipſa Ducis voluntate extinguendi dictos Montes num. 81. & tribus ſequen.

Promiſſio damnorum, & intereſſe in annuis redditibus continet reſtitutionē ſortis, quoties promiſſa non implentur ab eos conſtituente, vel vendente num. 75.

Contractus etiam nominati reſoluuntur per viam actionis ex defectu cauſæ finalis nempè rei promiſſæ fide non adimpleta num. 77.

Priuilegium meretur amittere, qui conceſſa ſibi abutitur poteſtate num. 78.

Refertur diſpoſitio Conſtitutionum 41. Clementis VIII. & Pauli V. ſuper erectione Congregationis Montium n. 79. & 80.

Dux ſe declarauit in conuentionibus initis cū Grillo, & Martello velle extinguere loca 7550. Montis Farneſii, & 2000. Montis Plani Abbatiæ n. 81. & per talem declarationem remiſit beneficium vlterioris temporis num. 83.

Variatio non admittitur poſt expreſſam declarationem num. 82.

Quæ ſunt voluntaria ab initio, dum explicātur, abeunt ex poſt facto in neceſſitatem num. 84.

Conſtitutio 41. Clementis VIII. in §. 8. comprehendit Montes etiam erectos poſt illius promulgationem à n. 85. per totum n. 88. nec non illos, in quibus nulla fuerit expreſſa conditio extinguendi infra certum tempus à n. 89. per totum n. 96. & n. 108. vbi expreſ-

Digitized by Google

expreſsè refellitur Author, comprehendit etiam omnes Barones Status Eccleſiaſtici à num.97. vſque ad 103. & procedit etiamſi nulli fructus deberentur, nec proinde intercederet occaſio ſubhaſtandi, & deliberandi ex hoc capite num.104.

Legis intentio in proferendis participijs præteriti temporis non reſpicit tempus, quo ipſa editur, ſed quo continget quæri de re per ipſam diſpoſita num.85. ac eius verba extenduntur ad futura quando illius ratio adaptatur etiam futuris num.86.

Statutum Eccleſiæ circa dignitates erectas cōprehendit tam erectas antè, quàm poſt illius editionem num.87.

Vera legis interpretatio ſumitur à pratica num.88.

Lex indiſtinctè loquens eſt accipienda ſine diſtinctione num.90. etiamſi maior ratio ſit in vno caſu quàm in alio num.91.

De natura alternatiuæ ſufficit vnam partem ex alternatis verificari num.94.

Vna & eadem oratio plura determinans debet æqualiter omnia determinare nu.96.

Clauſula cuiuſcunque Status, gradus, conditionis, & ordinis eſt apta comprehendere etiam Reges, ac Imperatores num.99.

Cardinales æquiparantur Regibus nu.100.

Argumentum à maiori ad minus valet. num.101.

Secundum naturam finis regulāda ſunt omnia num.103.

Contraria dicuntur, quæ cognoſcuntur per affirmationem, & negationem num.105.

Montiſtæ egerunt contra Ducem pro fructibus non ſolutis coram Cardinali Camerario num.106.

Conſtitutione Pauli V. ſuper Congregatione Montium cauetur, vt negligentibus Mōtiſtis procedatur ad inſtantiam Commiſſarij Cameræ, vel ex officio num.107. & num.130.

Facultas in ſingulis erectionibus conceſſa Montiſtis diſponendi de bonorum poſſeſſione, & fructibus in defectum obſeruationis promiſſorum non potuit impedire relaxationem mandati exequendi pro dicta extinctione, etiam ad effectum ſubhaſtandi, & deliberandi proprietatem à nu.109. vſque ad num.104.

Inducta ad augendam cautelam Creditoris non debent operari diminutionem n.110.

Verbum (licere) eſt poteſtatiuum num.111. nec ſtat taxatiuè, nec excludit alios modos faciendi num.112.

Prouiſio hominis non tollit prouiſionem legis quandò ſunt inter ſe compatibiles n.114. vel quandò prouiſio legis eſt ſpecialis, vel extraordinaria nu.116. vel quando proueniunt à diuerſis principijs nu 118. vel ſi prouiſio legis fuit inducta ad ſupplēdam prouiſionem hominis n.119. vel ſi reſpicit intereſſe publicum n.120. & ſeq. vel ſi fuit circa caſum omiſſum num.122.

Clauſula, dummodo non ſequatur bonorum alienatio, appoſita in inſtrumento Montis Plani Abbatiæ non legitur in Cedula Motus proprij Clementis, qui conceſſit facultatem erigendi, nec ideò attendenda n.123. & ſequen.

Verba adiectiuè poſita in medio orationis, eam tantùm qualificant, & reſtringunt n.124.

Oſtenditur validitas Iudicij tam ex iuriſdictione Card. Camerarij, & Congregationis Montium, ac Baronum n.125. quàm ex legitimo mandato Mangelli citati vti Procuratoris Ducis n.126. & ſequen. vel ex citatione exequuta in Palatio Ducis num.128 vel ex affixione edicti nu.129. etiam negligentibus Montiſtis, & pro eis inſtante Commiſſario Cameræ n. 130.

Procurator effectus Dominus litis non poteſt reuocari num.127.

Congregatio Baronum habet facultatem procedendi, capta per ipſam ſummaria etiam extraiudiciali informatione, & Cōgregatio Montiū, Iuris ordine non ſeruato, ac etiam obligationibus, erectionibus, additionibus, aggregationibus, & extinctionibus Montium non exhibitis, nec inſpectis nu. 131.

Digitized by Google

FRuſtrà timet Author, nè moleſta ve-
ritatis explicatio odium ſibi paritura
ſit, dùm illam integrè non expreſsit vt
teſtis: Imò nudam ac ſimplicem abſtru-
ſit in profundo, nè luce ſua notum face-
ret Orbi res Ducis, ab ipſo incommoda-
tas fuiſſe, non implendo legem conuen-
tionalem ſuorum Montium; nec propte-
reà poſſe earum detrimentum tribui Ini-
1 micis ad libitum confictis; Quod quidē
veritas inferiùs teſtata apertum efficiet;
Nàm magna illius vis eſt, vt etiam con-
trà hominum ingenia, ſe per ſe ipſa de-
fendat teſte *Cicerone lib. 1. de legib.*

Ex induſtria enim omiſit referre leges
inobſeruatas ab Odoardo Duce, quas
Clemens Octauus Raynutio eius patri, &
Sanctiſsimus illi præſcripſerant in facul-
tatibus erigendi Montes Plani Abbatiæ,
& Farneſij primæ, & ſecundæ erectionis,
ac medij prorogatione, & additione, nec
non ambo in ſpecialem conuentionem
deduxerant cũ Montiſtis, nè Lector indè
noſceret Iuſtitiam cauſæ, ex qua pro illo-
rum extinctione iudicialiter actum fuit.

Quare tria firmanda ſunt in facto.

Primum quid iuſſerint Clemens VIII.
& Sanctiſsimus.

Secundum quid promiſerint Duces
Raynutius, & Odoardus.

Tertium quid iſte inobſeruauerit.

2 Et ſanè quo ad primum, Clemens in
cedula Motus proprij, qua dicto Raynu-
tio conceſsit anno 1600. facultatem eri-
gendi Montem Plani Abbatiæ locorum
bis mille ad rationem ſcutorum quinque
pro quolibet loco continẽtium annuam
ſummam ſcutorum decem mille ſuper
omnibus fructibus, & redditibus Status,
& Ducatus Caſtri, & ſignanter Tenuta-
rum, Poſſeſſionum, & Terrarum loci
Plani Abbatiæ nuncupati ſtatuit inter
alia. *Quod pro maiori dicti Montis, & illius*
3 *creditorum cautela, & ſecuritate teneatur di-
ctus Raynutius Dux Depoſitarium in Vrbe,
qui Campſor publicus fide, & facultatibus
idoneus exiſtat, eligere & deputare, & in
manibus illius omnes pecunias ex fructibus,
redditibus, & prouentibus dicti Status Ca-
ſtri, & ſignanter Plani Abbatiæ prædictæ in-* 4
*tegrè ſolui, & conſignari facere. Qui Depo-
ſitarius pariter ex dictis fructibus, & reddi-
tibus in primis, & ante omnia dictam an-* 5
*nuam ſummam ſcutorum decem mille retine-
re, illamque eiſdem Creditoribus, & Monti-
ſtis annuatìm, & quolibet bimeſtre in fine
illius ratam ſoluère, necnon de ſoluendo ad
fauorem eorundem Montiſtarum, et Credi-
torum ſe ſe etiam in forma Cameræ obligare
teneatur; Omneſquè locationes dictorum bo-
norũ, vt præfertur aſsignatorum, in futurum* 6
*facienda fiant cum expreſſa obligatione Con-
ductorum de ſoluendo fructus, ſeù penſiones
eidem Monti, et eius Depoſitario prędicto etc.
Amplius etiam pro maiori ſecuritate omnes,
et ſingulos prędictorum bonorum tàm præſen-
tes, quàm pro tempore donec Mons ipſe du-
rauerit, futuros Conductores, et Affictuarios
pro ſolutione fructuum, et redditũm ſupra
aſsignatorum, durãtibus eorum affictibus, an-
nuatim ſuis loco, et tempore facienda in ma-
nibus Depoſitarij prędicti, etc. obligare, etc.*
Et quamuis non iuſſerit Ducem inuitum
cogi poſſe ad dictũ Montem extinguen-
dum infrà certum tempus, nihilominus
dixit. *Quod liceat ipſi Raynutio Duci, Mon-* 7
*tem prędictum quandocumque, poſt lapſum
tamen octo annorum, et non anteà in vna
ſeù pluribus vicibus redimere, et extinguere.*

In altera verò, qua eidem anno 1605.
dedit ſimilem facultatem erigendi Mon-
tem Farneſium locorum 7150. ſuper an-
nuis redditibus Status & Ducatus Caſtri,
& Roncilionis, ſeparandique ex illis (non
tamen compræhenſis fructibus dicti Pla-
ni Abbatiæ) annua ſcuta quinquaginta
quatuor millia, vt ex dicta ſumma in pri-
mis ſoluerentur fructus ipſius Montis ad
rationem ſcutorum quinque cum dimi-
dio pro quolibet loco, & quod ſupereſſet
con-

Digitized by Google

cõuerteretur in redemptionem locorum particularium eiuſdem Montis, tempori-
8 bus infradicendis, Conſtituit. *Quod pro maiori dicti Montis, et illius Creditorum cautela dictus Raynutius Dux, Depoſitarium in Vrbe, qui Campſor publicus, ac fide, et facultatibus ideoneus exiſtat, eligere, et deputare, et in manibus illius omnes pecunias ex fructibus, redditibus, et prouentibus dicti Status, et*
9 *Ducatus Caſtri, et Roncilionis ſuperius expreſsis, videlicet dicta annua ſcuta quinquaginta quatuor millia integrè ſolui, et conſignari facere: Qui Depoſitarius pariter ex dictis Fructibus, et redditibus, in primis, et antè om-*
10 *nia dotem, ſeù fructus d. Montis retinere, illoſque eiſdem Creditoribus, et Montiſtis annuatim; et quolibet bimeſtre in fine, et pro rata ſoluere, nec non de ſoluendo ad fauorem eorundẽ Montiſtarum et Creditorum ſe ſe etiam in forma Cameræ Apoſtolicæ obligare, et quod reſiduum fuerit per integrum ſeptennium, ac etiam per illud tempus vltrà, quod magis di-*
11 *cto Raynutio Duci, eiuſque heredibus, et quibus dederit videbitur, et placuerit, in Inſtrumento Conuentionis ſuper venditione, et redemptione dicti Montis celebrãdo exprimendum, multiplicari curet, ac elapſo ſeptennio, et etiam vlteriori tempore, dummodo tẽpus duodecim annorum nõ excedat, in redemptionem particularium locorum eiuſdem* Montis, *vt infrà dicetur faciẽdam erogare teneatur; omneſque locationes dictorum bonorum, vt præfertur, aſsignatorum in futurũ facienda fiant*
12 *cum expreſsa obligatione Conductorum, & de ſoluendo fructus, & penſiones eidẽ Monti, & pro eo, eius Depoſitario prædicto*. Decreuitq. ſub fine illius extinctionem, & redem-
13 ptionem fieri debere poſt lapſum temporis prædicti per extractionem ad inſtar Montis Populi Romani.

14 Sanctiſsimus autem in gratia conceſſa Odoardo remiſsionis non facti inueſtimenti, & omiſſæ extinctionis dicti Montis Farneſij, cum illius prorogatione ad alios duodecim annos inchoãdos à Data Chirographi, quod ſubſcripſit die 17. Iulij 1632. & additionis locorum ſexcento- 15
rum ſuper redditibus Caſalium Turris Vergatæ, Aquæuiuæ, Pini, & Inſulæ, tria ſuæ voluntatis decreta expreſsit. Primum ſuper extinctione Montis præfati, ibi, *vo-* 16
gliamo però, che paſſati li detti dodici anni ſia obligato, e debba detto Duca far detta eſtintione nell'iſteſſo modo, e forma che è ſtato preſcritto, & ordinato nella ſudetta cedola di Moto proprio precedente, nempè Clementis VIII. Secundum ſuper aſsignatione dotis pro ſolutione fructuum, & extinctione locorum additorum, ibi. *Vogliamo però, che il* 17
detto Duca per li frutti, e dote delli detti luoghi 600. e per l'eſtintione d'eſsi da farſi come di ſotto ſi dirà, debba applicare, & aſsegnare al detto Monte, e ſuoi Miniſtri, e Depoſitarij ſcudi quattro mila e cinquecento di moneta ogni anno ſopra l'entrate delle ſodette Tenute, e far gli oblighi, e promeſſe neceſsarie, e che à voi pareranno tanto per il pagamento della ſodetta annua ſomma di ſcudi 4500. quanto anco per l'euittione, & eſtintione delli ſudetti luoghi 600. Tertium ſuper Inueſtimento ſũ- 18
mæ multiplicandæ, & erogandæ in dictã extinctionem, ibi. *Volendo, & ordinando, che tutto quello auanzarà delli ſudetti ſcudi 4500. pagati prima li frutti delli detti 600. aggiunti, ſi debba inueſtire in compra d'altri luoghi del detto, ò altro Monte nõ vacabile, acciò paſsati detti dodici anni proſsimi dalla data di queſto, detto Inueſtimento con li frutti di eſſo, che ſimilmente ſi douranno per detto effetto inueſtire, ſi debba conuertire in eſtintione del detto Monte, ſi come vogliamo, & ordiniamo, che ſi conuerta nell'eſtintione ſudetta, e così s'oſſerui ogn'anno fin'all'intiera eſtintione di tutto il detto Monte.*

In alia paritèr additione locorum mil- 19
le facta ſimili Chyrographo ſubſcripto die 11. Ianuarij 1634. adiecit huiuſmodi decretum. *Vogliamo però che il detto Duca facci le promeſſe, & oblighi neceſſarij à fauore del detto Monte, tanto per il pagamento de*

frutti

frutti delli ſudetti luoghi, e per l'euittione di
eſsi, quanto per l'eſtintione delli ſudetti luoghi,
quali vogliamo ſia obligato farla trè anni do-
pò che ſarà fatta la totale eſtintione del detto
Monte, e dell'aggiunta d'eſſo nell'iſteſſo mo-
do, e forma, che ſi è ſtabilito nel Chirografo
ſegnato da Noi, per l'altra aggiunta.

20 Deniq. in cedula Motus proprij, narra-
to quod dictus Odoardus eſſet grauatus
ære alieno in præfatis Mõtibus Plani Ab-
batiæ, & Farneſio pro ſumma locorum
decem millium ſeptingentorũ quinqua-
ginta, & ex eo, quod aduenerat tẽpus ex-
tinctionis reſpectu locorum nouem mil-
lium ſeptingentorum, & quinquaginta
cuperet huiuſmodi debitum extinguere
mediante erectione, & vẽditione alterius
Montis, ad huiuſmodi effectum ei con-
ceſsit ſub initio anni 1640. facultatem
erigendi nouũ Montem Farneſium nun-
cupatum Secundæ Erectionis locorum
duodecim millium nonigentorum de-
cem & ſeptem ad rationem ſcutorũ qua-
tuor cum dimidio pro quolibet loco ſu-
per annuis redditibus dicti Ducatus, &
Status Caſtri, ac Roncilionis, & ſignan-
ter Tenutæ, ſeù loci Plani Abbatiæ, Te-
nutæ Caſtri Franchi, Terrarum Montis
Alti, Teſſenani, Arlenæ, Celleni, Plania-
ni, Iſchiæ, Valentani, Pianzani, Marthæ,
Capitis Montis, Biſentij, Gradularum,
Roncilionis, Vici, Caſamalæ, Burghetti,
S.Leonardi, Fabricæ, Canepinæ, Corchia-
ni, Vallerani, & Caſtri S.Eliæ, ſeparandiq.
ex illis annua ſcuta ſexaginta millia cen-
tum viginti ſex cum dimidio, & appli-
candi pro fructibus, & dote congrua eiuſ-
dem Montis, ſaluis tamen, & reſeruatis
Iuribus Montiſtarum dictorũ Montium
Plani Abbatiæ, & Farneſij vſque ad di-
ctam eorum extinctionem, quibus nul-
latenus voluit præiudicare, & derogare.
In prædicta inquam cedula Motus pro-
21 prij decreuit. *quod ex dicta ſumma, in pri-*
mis ſoluantur fructus dicti Montis ad ratio-
nem prędictam, & quod ſupererit in redem-
ptionem, ſeù extinctionem particularium lo-
corum eiuſdem Montis elapſo ſeptennio, ac
etiam vlteriori tempore, vt infrà, conuerta-
tur. Statuitque etiam alijs omiſsis Quod pro
maiori dicti Montis, & illius Creditorũ cau- 22
tela, & ſecuritate teneatur dictus Odoardus
Dux Depoſitarium in Vrbe, qui Campſor pu-
blicus ac fide & facultatibus idoneus exiſtat
eligere, & deputare, & in manibus illius om-
nes pecunias ex fructibus, redditibus, et pro-
uentibus dicti Status, et Ducatus Caſtri, &
Roncilionis ſuperius expreſſas videlicet. Di-
cta annua ſcuta 68126. 50. *integrè ſolui, et*
conſignari facere. Qui Depoſitarius pariter ex 23
dictis fructibus, et redditibus in primis, et an-
te omnia, ſcuta quinquaginta octo millia et cẽ-
tum viginti ſex cum dimidio pro dote, et fru-
ctibus dicti Montis retinere, illaq. eiſdem Cre-
ditoribus, et Montiſtis annuatim, et quolibet
bimeſtre in fine pro rata ſoluere, necnon de
ſoluendo ſe ſe etiam in forma Cameræ Apoſto-
licæ obligare; Et quod reſiduum fuerit per in- 24
tegrum ſeptennium, ac etiam per illud tempus
vltrà, quod magis dicto Odoardo Duci eiuſ-
que hæredibus, et quibus dederit, videbitur, et
placuerit in Inſtrumento conuentionis ſuper
venditione, et redemptione, ſeù extinctione
huiuſmodi Montis celebrãdo exprimere, mul-
tiplicari curet, et elapſo ſeptennio, atque etiam
vlteriori tempore vt ſupra, dummodo tem-
pus duodecim annorũ non excedat, in redem-
ptionem, ſeù extinctionem eiuſdem Montis,
vt infra dicetur, faciendã erogare teneatur etc. 25
omneſque locationes dictorum bonorum, vt
prætenditur, aſsignatorum in futurum facien-
dæ, fiant cum expreſſa obligatione conducto-
rum de ſoluendo fructus, et penſiones eidem
Monti, et pro eo, eius Depoſitario prædicto etc.
Quo verò ad locationes quæ nunc factæ repe-
riuntur debeãt Conductores ſe obligare de ſol-
uendo prædicto Montis Depoſitario, et Inſtru-
menta publica talium locationum eidem tra-
di debeant ad effectum agendi, et ſoluere recu-
ſantes ad ſoluendum compellendi etc. Extin- 26
ctio

etio autē, et redēptio poſt lapsū ſeptēnij, et vlterioris etiā tēporis vt ſupra fieri debeat per extractionē ad inſtar Mōtis Populi Romani etc.

27 Quo verò ad ſecundum: Raynutius in Inſtrumēto erectionis Montis Plani Abbatiæ rogato per Camillum Morettum die 15 Maij 1600. non ſolùm elegit, & deputauit Tiberium Ceulum Depoſitarium dicti Montis, ſed etiam in illius defectum promiſit eligere, & deputare

28 alium æquè idoneum in Vrbe, quoties opus fuerit, omneſq. redditus, & prouentus dicti Status & Ducatus Caſtri, & ſignanter Plani Abbatiæ in manibus eiuſdem Tiberij, ſeù alterius Depoſitarij pro tempore eligendi, & deputandi quolibet anno, dicto Monte durante ſolui, & cum effectu conſignari facere, quodue dictus

29 Tiberius, & alij Depoſitarij pro tempore eligendi, & deputandi, ex illis antè omnia retinebunt dictam annuam ſummā ſcutorum decem millium, illamq. Montiſtis annuatim, ratam verò quolibet bimeſtre in fine perſoluerit, necnon de ſoluendo ad eorum fauorem ſe ſe etiam in forma Cameræ obligabunt. Itidemq. promiſit,

30 omnes, & ſingulos dictorum reddituum, & bonorum tàm præſentes, quàm futuros Conductores obligari facere in forma Cameræ pro ſolutionibus omnium fructuum, & reddituum ſuprà aſſignatorum annuatim, ac liberè faciendis ſuis loco, & tempore in manibus ſupradicti Depoſitarij nunc & pro tempore exiſtentis, ac

31 ſuper prædictis adiecit obligationem Cameralem, conſenſum in mandatum executiuum relaxandum vnica citatione, & intimatione præcedente, & iuramentum; voluitq. etiam vltra obſeruationes contractus teneri ad omnia damna.

32 Similiter eius nomine Bartholomeus Ripa ſpeciali mādato ſuffultus in Inſtrumento erectionis Montis Farneſij, ſtipulato per Acta Petri Antonij Mareſuſci Notarij Aud. Cam. die 24. Maij 1605. ſtabili lege firmauit, quod ex annua ſolutione facienda ſcutorum quinquaginta quatuor millium, in primis ſoluātur fructus dicti Montis ad rationem quinque cum dimidio pro ſingulo loco, aſcendentes in totum ad annua ſcuta triginta nouem millia tercentum viginti quinque, & reliquum Depoſitarius teneretur ero- 33
gare de anno in annum in extinctionem particularium locorum eiuſdem Montis incipiendo primam poſt ſeptennium, ac Depoſitarium elegit, & deputauit præfatum Tiberium Ceulum, & in eius defe- 34
ctum quemcumque ſucceſſorem in eius ratione bancaria, promiſitq. in eorum defectum eligere, & deputare alium æquè idoneū in Vrbe, quoties opus fuerit actu- rum ſingula ſuperius dicta, omneſq. red 35
ditus, & prouētus dicti Status, & ſignanter locorum expreſſorum in eodem Inſtrumento ſolui, & cum effectu cōſignari facere quolibet anno, dicto Mōte durante in manibus eiuſdem Tiberij Ceuli, ſeù alterius Depoſitarij pro tempore eligendi, & deputandi, ac etiam omnes, & ſingulos Conductores, tàm præſentes, quàm 36
futuros obligari facere in forma Cameræ pro ſolutionibus omnium fructuum, & redditũum ſuperius aſsignatorum in manibus ſupradicti Depoſitarij ſuis loco, & tempore libere faciendis, ac Inſtrumenta publica huiuſmodi obligationum tradere, & conſignare prædicto Depoſitario, vel eas celebrari facere in actis Notarij nominandi per Depoſitarium in Vrbe, quatenus illi, & Montiſtis placuerit ad effectum agendi, & ſoluere recuſantes compellendi ad ſoluendum, obligando 37
in forma Cameræ pro adimplemento, & perpetua obſeruantia præmiſſorum dictū Raynutium eius Principalem, & Odoardum Cardinalem Farneſium (cuius etiā mandatum habebat) ac vtriuſque hæredes, & bona, cum iuramento, & conſenſu in mandatum executiuum vnica citatio-

ne, & intimatione præcedente, facienda in eorum Palatio Vrbis, quod elegit in Domicilium, vbi eſſent citandi ad omnes actus incumbentes.

39 Eques verò Alphonſus Carandinus ſpecialiter conſtitutus ab Odoardo die 16. Auguſti 1632. ſub rogitu Alexandri Magni Notarij Parmenſis pro adimplemento primi Chirographi ſuper prorogatione extinguendi dictum Montem Farneſium ad duodecim annos, & additione locorum ſexcentorum die 15. Septembris eiuſdem anni per acta Ruffini Plebani Notarij Cameræ, non ſolum nomine ſui principalis conſenſit omnibus in eo contentis, & expreſſis, nihilo penitùs excepto, ac dictam prorogationem acceptauit; ſed etiam à redditibus, & prouentibus Caſaliũ Turris vergatæ, Aquæuiuæ, Pini, & Inſulæ ſeparauit annuam ſummam ſcutor. quatuor millium quingentorum pro ſolutione fructuum, & ex-
40 tinctione dictorum locorum ſexcentorũ, eamque promiſit liberè ſoluere, & deponere quolibet anno in manibus tunc, & pro tempore exiſtentis Depoſitarij dicti Montis, ad effectum inde ſoluendi fructus eorumdem locorum ſexcentorum, & quod ſupereſſet inueſtiẽdi in emptionem aliorum locorum eiuſdem Montis Farneſij, ſeù aliorum locorum Montium non vacabilium, ad effectum faciendi eorum extinctionem iuxtà formam dicti
41 Chirographi cum ſimili obligatione Camerali conſenſu in mandatum, & Iuramento.

42 Itidem Albertus Zunthius tanquam ſpecialis Procurator eiuſdem Odoardi conſtitutus Parmæ per rogitum Magni die 24. Ianuarij 1634. ſub pari obligatione Camerali, conſenſu, & Iuramento in executionem ſecundi Chirographi ſuper additione locorum mille, die 24. Februarij per acta Plebani declarauit erecta, & addita fuiſſe ſuper Statu Caſtri, & Roncilionis, ac illorum Terris, Caſtris, Tenutis, & poſſeſſionibus, dictiſuè Caſalibus Turris vergatæ, Aquæuiuæ, Pini, & Inſulæ, eorumque, & cuiuslibet eorum redditibus, & prouentibus, ac ſeparando ex illis annuam ſummam ſcutorũ quinque millium, & quingentorum dumtaxat, quam dicto Monti, & futuris Creditoribus eorumdem locorum mille, aſſignauit pro ſolutione fructuũ ad dictam rationem ſcut. quinque cum dimidio, illam promiſit in manibus tunc, & pro tẽpore exiſtentis Depoſitarij dicti Montis ſoluere, & deponere quolibet anno de bimeſtre in bimeſtre in fine, & pro rata, liberè, & abſque vlla exceptione, nec nõ dicta loca mille extinguere per tres annos poſtquam dictus Mons Farneſius eſſet integrè extinctus vnà cum prima additione. 43 44

Poſtremò ipſe Odoardus die 19. Ianuarij 1640. per acta Bartholomei Brunori Notarij Camerę, facta erectione noui Montis Farneſij, & ſeparatione annuę ſummæ ſcutorum ſexaginta octo mille centum viginti ſex cum dimidio ex redditibus, & prouentibus Status, & Ducatus Caſtri, & Roncilionis, ac illius applicatione pro congrua, & peculiari dote, & annuis fructibus dicti Montis; ac pro illius extinctione de eo quod ſupereſſet, interim multiplicãdo in executionem nouiſsimi motus proprij, elegitq. & deputauit in Depoſitarios dicti Montis, ac redituum prædictorum ad duodecim annos, & deinceps ad eius arbitrium, & beneplacitum Hieronymum Martellum, & Ioãnem Grillum Marcatores Romanam Curiam ſequentes, ac ſe obligantes pro dicto tempore ad ſolam fructuum ſolutionem faciendam Montiſtis in fine cuiuslibet bimeſtris, iuxtà liſtas pro tempore eis dandas, promiſitque in eorum defectum eligere, & deputare alium æquè idoneum in Vrbe, quoties opus fuerit, ac 45 46 47 48

etiam

etiam omnes dd. redditus, & prouentus
49 ſic vt ſuprà ſeparatos, & applicatos ſolui,
& cum effectu conſignari facere quolibet
anno, dicto Monte durante in manibus
eorundem Depoſitariorum, ſeù alterius
pro tempore eligendi, & deputandi,
50 quodue dicti Martellus, & Grillus Depo-
ſitarij in primis, & antè omnia, de illis
ſoluent Montiſtis pro eorũ fructibus an-
nuam ſummam ſcutorum quinquaginta
octo millium centum viginti ſex cum di-
midio. At pro maiori ſecuritate depoſi-
51 tariorum, ac Montiſtarum reſpectu loca-
tionum quæ tunc factę reperiebantur, in
ſpecie promiſit, quod Conductores de-
beant ſe obligare ad ſoluendum Depoſi-
tarijs dicti Montis, idque etiam in pactũ
deduxit reſpectu futurarum, præſcripſit-
que formam extinctioni faciendæ poſt
52 lapſum ſeptennij. Et pro omnibus, ac ſin-
gulis prædictis inuiolabiliter obſeruan-
dis ſe obligauit in forma Cameræ cũ di-
ctis conſenſu, Iuramento, & electione
Palatij Vrbis pro ſuo domicilio, vbi eſſet
citandus.

Qua die etiam in conuentionibus ini-
53 tis cum eiſdem Martello, & Grillo per
acta Brunori, præmiſſo quod volebat ex-
tinguere loca ſeptem mille ſeptingenta
quinquaginta Montis Farneſij, & duo
millia Montis Plani Abbatiæ, quoduè
Martellus, & Grillus recepta facultate re-
ſignandi ex nouo Monte loca nouem
mille viginti octo, ſtatutoque ſingulis
pretio ſcutorum centum, & octo, magna
quidem, & animoſa conditione promi-
ſerant Farneſia extinguere infrà metam
eiuſdem anni 1640. alia verò Plani Ab-
batiæ infra quatuor Menſes à fine dicti
anni, ac interim omnium fructus ſolue-
re, eoſdem confirmauit, & reſpectiuè de-
putauit Depoſitarios vtriuſque Montis
Farneſij primæ, & ſecũdæ erectionis, nec
non dicti Plani Abbatiæ per duodecim
annos computandos à Kal. Ianuarij dicti
anni 1640. ac deindè ad ſuum benepla-
citum, & arbitrium, quibus ſoluere, ſeù 54
ſolui facere promiſit tantùm fructus lo-
corum mille vltimę additionis factæ pri-
mo Monti Farneſio (quæ tunc minimè
extingui debebant) ad rationem ſcuto-
rum quinque cum dimidio pro quolibet
loco, & anno importantes annua ſcuta
quinque millia, & quingenta, ratam ſci-
licet de bimeſtre in bimeſtre in fine vſ-
que ad eorum extinctionem; Fructus ve- 55
rò locorum duodecim millium nonin-
gentorum decem, & ſeptem noui Mon-
tis Farneſij ſecundæ Erectionis ad ratio-
nem ſcutorum quatuor cum dimidio pro
quolibet loco, & anno importantes an-
nua ſcuta quinquaginta octo millia cen-
tum viginti ſex cum dimidio, ratam nē-
pè eorum partem bimeſtruatim in prin-
cipio, ſeù fine cuiuslibet bimeſtris ſuo
arbitrio, adiecta pactione quod dicti
Martellus, & Grillus præter huiuſmodi
ſummas nihil aliud prætendere poſſent,
ſed ipſi tenerentur de proprio ſoluere fru-
ctus locorum extinguendorum vt ſuprà,
quæ in ſe accollauerant; Et quia in Motu 56
proprio ſuper erectione nouiſſimi Mon-
tis fuerat diſpoſitum, vt de ſumma ſcu-
torum ſexaginta octo millium centum
viginti ſex cũ dimidio ſeparanda ex red-
ditibus Status, ac Ducatus Caſtri, & Ron-
cilionis, in primis ſoluerentur fructus, &
reſiduum inueſtiretur, & multiplicaretur
in cauſam extinctionis per integrum ſe-
ptennium, ac illud tempus vltrà quod
videretur ipſi Odoardo, verbo ſolùm de-
clarauit velle fieri huiuſmodi multipli-
cum per dictum ſeptennium, ac tot cite-
riores annos, in quibus coaceruatis de
tempore in tempus reſiduis prædictis, ac
fructibus redigendis ex eorum multipli-
co fieri, ac compleri poſſet extinctio dicti
Montis iuxta calculum firmandum cum
eiuſdem Depoſitarijs, ſeù alijs negociato-
ribus, reſeruata etiam ſibi facultale illũ
tran-

Digitized by Google

tranſacto ſeptennio quandocumque extinguendi in vna, ſeù pluribus vicibus tàm de dictis reſiduis,&multiplico,quàm de alijs pecunijs, At nihil reipſa aſſignauit,vel prouidit in hanc cauſam.

57 Quoad tertium denique certum eſt Odoardum plura ex prædictis non adimpleuiſſe, nec obſeruaſſe, nam reſpectu Montis Plani Abbatię nullibi conſtat penes illius Depoſitarium integrè depoſuiſſe omnes pecunias redactas ex fructibus, redditibus, & prouentibus,Status Caſtri, quod tamen ipſe Dux probare debuiſſet,

58 nam cui implendum eſt ſufficit allegare negatiuam *l. 1. C. de probat. cum aliis per Maſcardum de probat. par. 1. concluſ. mihi 891. num. 1. Rot. deciſ. 362. num. 2. par. 2. recent.*

59 Imò nec Siris iuſſit in Inſtrumento locationis eiſdem factæ decima Februarij 1638. per rogitum Coſmi Titij, vt hoc implerent, ſicut dixerat Clemens VIII. & promiſerat Raynutius eius Pater, ſed tantùm quod ex illis bimeſtruatim ſoluerent pro fructibus dicti Montis,& Farneſij, ſcuta quinquaginta octo millia cētum vigintiquinque, ibi, *Li Signori Gio. Battiſta, & Aleſſandro Siri per li ſcudi 97. mila dell'affitto* (quæ poſteà reducta fuerūt ad 90.mil) *douranno pagare ogn'anno per li frutti delli Monti Farneſe, & del Piano dell'Abbadia in ſuoi bimeſtri, incominciando il primo pagamento finito Ottobre 1638. per il bimeſtre di Settembre, & Ottobre ſudetto conforme le liſte, & ordini ſoliti, che li ſaranno conſegnati, & tratti dal Sig. Reſidente di S. A. in Roma, ò ſuo Procuratore. ſcudi 58125*

60 Reſpectu Montis Farneſij primæ Erectionis, tàm antè; quàm poſt Chirographum prorogationis, ſemper defecit in deponendo ratam inueſtiendam,& multiplicandam pro extinctione facienda lapſo ſeptennio, ſi ita ei videretur, & pre-

61 ciſè poſt lapſum duodecim annorum, nec fecit Depoſitarios pro tempore obligari ad conficiendum huiuſmodi inueſtimentum, & multiplicum, Imò nec de illa meminit, quoad loca mille nouiſſimè addita, neque in locatione facta Siris impoſuit, vt ſoluerent huiuſmodi ratam, cum ſuum mandatum reſtrinxerit ad ſolos fructus, vt ſuprà.

Reſpectu autē Farneſij ſecundę erectio- 62
nis tantùm abeſt curaſſe integrè ſolui, & cōſignari in manibus Martelli,& Grilli, quos pro Depoſitarijs elegit, annua ſcuta ſexaginta octo millia centum viginti ſex cum dimidio, vt ex illis Montiſtis ſoluerent ſcuta quinquaginta octo millia centum viginti ſex pro fructibus, & reſiduū inueſtirent, ac multiplicarent pro extinctione facienda tempore præſcripto, quin neque in Inſtrumento conuentionum quas cum eis iniuerat, vt ſuprà promiſit eiſdem ſoluere, vel ſolui facere dictum reſiduum, ſed ſolam quantitatem correſpondentem fructibus, Vndè nec re, nec verbo prouidit de huiuſmodi rata ſeponenda pro dicto inueſtimento, & multiplico.

Neglexit quoque implere legem impoſitam locationi,quæ tunc reperiebatur 63
facta, cum minimè fecerit Siros obligari de ſoluēdo dictis Depoſitarijs ſummam, vt ſuprà debitam pro fructibus, & extinctione,minuſuè illis tradidit Inſtrumentum dictæ locationis, vt ſaltim eo mediante poſſent compelli ad ſoluendum ſi de Iure quidquam verè debuiſſent.

Quodue fortiùs eſt, plura loca Montiū ex hoc nouo diſtraxit, quàm redemerit 64
ex antiquo, nec proptereà dotem illi deſtinatam ſuper eiſdem redditibus liberauit ad proportionem diſtracti. Adeout alienata pro nō modico numero, fuerint, & ſint abſque dote neceſſariâ, vt poſſint ſubſtineri, nam Grillo, & Martello dedit facultatem reſignandi loca nouem mille viginti octo, ex reliquis autem ipſe reſignauit diuerſis perſonis loca mille quadrin-

drin-

Digitized by Google

dringenta octuaginta octo, & Franciſco Corrado Mercatori Ianuenſi in pignus dedit alia mille,& quadringenta ſub ea lege,quod niſi redimerentur infrà biennium eſſent libera Iure Dominij. Et tamen numerus redemptorum ex antiquo per ſeptem extractiones non excedit loca bis mille ſeptingenta quinquaginta. In prima enim facta die 24. Ianuarij 1640. mille ſolum extracta fuerunt, in ſecunda 1. Martij quingenta, in alijs verò quinque 26. Martij, 12. Aprilis, 8. & 26. Iunij, ac 16. Octobris ducenta,& quinquaginta pro ſingulis, nec quamplurium ſors adhuc Creditoribus ſoluta fuit.

65 Item reſpectu Montium Plani Abbatiæ,& Farneſij primę erectionis,nec antè decoctionem Martelli,& Grilli, qui defecerunt in ſolutione bimeſtris Iulij,& Auguſti 1640. & aliorum ſequentium,ac in carcerem coniecti fuerunt ſub fine eiuſdem anni,& initio alterius reſpectiuè, aliter prouidit ſolutioni fructuum locorum bis mille primi,& ſeptem millium ſeptingentorum quinquaginta alterius, quàm per ſimplicem eorum accollationem ab eiſdem Martello,& Grillo in ſe factam ab initio.

66 Minus quoad omnes, poſt illorum defectum, & iudicialem interpellationem per Acta Brunorij factam coram Cardinali Camerario die 27. Maij ſequẽtis anni 1641. elegit,& deputauit pro eorum Depoſitarijs alios Campſores in Vrbe fide,& facultatibus idoneos,ſicut ex lege Pontificia, & paterna, ac propria obligatione tenebatur reſpectu ſingulorum,ſed ſolùm contra formam ab eis præſcriptam fecit nonnullis ſolui per ſuum ratiocinatorem in proprio Palatio vnicum bimeſtre Nouembris, & Decembris dicti anni 1640.

67 Augetur defectus huius implementi, quià dùm Siri conſtanti voce publicè aſſerebant locationem ipſis factam non fuiſſe impletam ex parte Ducis, nec eſſe illius Debitores, ſed Creditores, vtique ipſe Dux ex vi obligationum,qnas Pater, & ipſe fecerant Montiſtis,debuit in Iudicium cum eis deſcendere,& cõtrarijs probationibus vires dictæ aſſertionis retundere, eoſdemque iudiciali authoritate compellere ad ſoluendum,nec magno ſilentio eorum dictum firmare.

Vndè nil refert, quod Præſidens Annonæ emerit à Siris frumentum, vt dicitur recollectum in ſtatu Caſtri eis locato, & ſic obnoxium hipothecæ Mõtiſtarum, quià Dux noluit eos, debitum negantes conuincere,oſtendendo,quod eſſent veri Debitores in àliqua certa sũma,nec proptereà firmauit aſſertã hipothecam Montiſtarum, cum ſit pediſſequa debiti, & actionis perſonalis pro eo cõpetentis, nec poſsit abſque illa ſubſiſtere, *l.contrahitur, vbi Bart.& alij,ff.de pignor. l. fideiuſſor obligari vbi Bart.ff.de fideiuſſor.Alex.conſ.134. num.20.vol.6. cum ſimilibus relatis à Surd. conſ.243.num.10.vol.2* Immò ſibi imputet qui nec Montiſtis,ac præfatis Martello,& Grillo,vt tenebatur tradidit Inſtrumentum locationis in ſua tunc ditione rogatum à Notario eis ignoto, vt poſſent illo vti,ac eius defectum ſupplere. 68 69 70

Quibus additur non cõſtare quod dictum frumentum eſſet de recollecto ex bonis Ducis,cum Siri habuerint liberam facultatem incettãdi, & ſic potuerint dictum frumentum venditum Annonæ aſſequi ex incetta ab eis facta ære proprio, nàm probatio ęquiuoca,& dubia non releuat, *l.nàm hoc,C.vnde legitimi, l. ad probationem la ſeconda vbi Bald. C. de probat. Rot.deciſ.380.num.10.par.5.recent.* 71 72

Ex hoc autem quod Dux non impleuit præſcripta,& promiſſa in erectionibus, & additionibus ſuorum Montium non poteſt controuerti, quin rectè contrà eum fuerit ad inſtantiam Commiſſarij Camerę,& Montiſtarum ſpeciali reſcripto San- 73

ctiſs. præſentato in Actis Brunorij die 17. lij, cómiſsâ causâ extinctionis dictorum Montium ad tollendam omnem controuerſiá Iuriſdictionum Cardinali Camerario vnà cum Congregationibus Montium,& Baronum,ac de illarũ voto omni & quacumque appellatione, nullitatis dictione,reſtitutione in integrum,recurſu, alijſque remedijs remotis,ac poſtmodum illo de actis effecto per citationem,in cuius termino Franciſcus Mãgellus vti Procurator ipſius Ducis, exhibito mandato ſub die 13.oppoſuit generalia:Rectè quoque fuerit contrà eumdem ſub die 7.Septẽbris à Card. Camerario de voto vtriuſq. Congregationis prima vice decretum, & relaxatum mandatum executiuum pro ſumma ſcutorum quatuor centum mille ad effectum extinguendi Montem Farneſium primæ Erectionis ſine prȩiudicio cuiuſcumq. reſidui dicti Montis, & aliorum locorum ei additorum annis 1632. & 1634. ac fructuum decurſorum, & decurrendorum vſquè ad diem effectualis extinctionis,ac quorumcumque damnorum,expenſarum, & intereſſe paſſorum, & patiendorum, necnon ſine præiudicio Iurium Cameræ Apoſtolicæ,& Montiſtis competentium ſuper Monte ſecũdæ erectionis, & alijs quibuſcumque Montibus etiam pro illorum extinctione, & ſine præiudicio quorumcumque fructuum decurſorum, & decurrendorum eorundẽ Mõtium niſi infra quinque cum intimatione ſtatim executa. Ac ſecunda vice fuerit die 24.eiuſdem menſis in termino citationis ad docendum ſe adimpleuiſse omnia & ſingula iuſſa, & decretà,ac omnes, & ſingulas promiſsiones, & obligationes, conuentiones, pactiones contentas, & reſpectiuè factas in cedulis erectionum, Chirographis additionũ, & Inſtrumentis obligationum ſuperius relatis, decretum, & relaxatum alterum mãdatum executiuũ pro generali extinctione omnium Montium, & additionum etiam in vim quarumcumque facultatum tributarum à Clemente Octauo Congregationi Baronum, & à Paulo V. Congregationi Montium ſine præiudicio dicti primi mandati, & fructuum hactenus decurſorum,& impoſterùm decurrendorum vſque ad totalem extinctionẽ prȩdictam, ac omnium & ſingulorum damnorum, expenſarum, & intereſſe per Cameram Apoſtolicam, & Montiſtas quomodolibet paſſorum, & patiendorum niſi infrà quindecim cum intimatione executa die ſequenti.

Dux enim potuit ad totalem eorum extinctionem cogi. Primò de Iure communi; tum ex obligatione ad damna, & intereſſe explicitè promiſſa quoad Montes Plani Abbatiæ,& Farneſium ſecundæ erectionis, & implicitè reſpectu primi ſub formula obligationis Cameralis, nã eorum promiſsio in hiſce annuis redditibus continet reſtitutionem ſortis, quoties promiſſa non implentur ab eos conſtituente & vendente, *Rota deciſ. 741. ſub num. 1. par. 1. diuerſ. deciſ. 87. nu. 4. & 138. num. 1. & 2. poſt Cent. de cenſib. penes Gregor. XV. deciſ. 88. num. 3. & in Bonon. Cenſus prima Februarij* 1627. *coram* Pirouano, *ac* 15. *Nouembris eiuſdem anni, &* 10. *Ianuarij* 1639. *coram Coccino*. 74 75

Tum ex ceſſatione cauſæ finalis,quam indubiè concernunt nõ impleta per Ducem ſiuè conſiderẽtur ex parte Clementis Octaui,& Sanctiſsimi, qui gratias dictarum Erectionum, & additionum reſpectiuè conceſserunt ſub antedictis legibus ſtatutis pro cautela,& ſecuritate Mõtiſtarum, alias nõ conceſſuri, nè ſub fide publica illuderentur hi, qui emerent loca Montium ab ipſis erecta, vel addita; ſiuè ex parte Montiſtarum, qui eam ſecuti proprias pecunias erogarunt in illorum emptionem, nàm contractus etiam nominati reſoluuntur per viam actionis 76

ex

77 ex defectu cauſæ finalis, nempè rei promiſſæ fide non impleta ab vno ex contrahentibus, ſine qua alter cum eo minimè contracturus fuiſſet, *l. cum te, C. de pact. inter empt. & vend. vbi notant omnes Alberic. in l. final num. 5. & Alex. dicens communem num. 8. ff. de condict. ob cauſam Abb. in c. verum num. 2. circa med. verſ. Vnde concludendo de condit. appoſit. Corn. conſ. 101. num. 6. verſ. & hoc niſi, cum ſequen. vol. 1. & conſ. 102. num. 22. vol. 2. Dec. conſ. 45. num. 29. Aym. conſ. 192. num. 22. conſ. 246. nu. 2. & conſ. 659. num. 1. Soccin. ſen. conſ. 26. num. 3. verſ. ſecundum infero cum duobus ſeq. vol. 3. Roland. conſ. 69. num. 40. vol. 4. Bellon. iun. conſ. 13. nu. 42. Mantic. de tacit. lib. 1. tit. 12. num. 54. Buratt. deciſ. 106. num. 22. & ſeq. Caualer. deciſ. 612. num. 14. verſ. talis.*

78 Tùm deniquè ex abuſu nouiſsimæ gratiæ Duci factæ quoad Mōtem Farneſium ſecundæ erectionis, nàm eius loca dixtraxit priùs quam illam perfectè impleuerit. Ideòque cecidit ab eius commodo, cum certum ſit, gratiam amitti per abuſum, quià *ex ſententia Simplicij Papæ in cap. vbi iſta diſtinct. 74. et cap. priuilegium 11. q. 3.* priuilegium meretur amittere, qui conceſſa ſibi abutiur poteſtate, quod repetunt *Innocentius Tertius in cap. licet de regularibus in cap. vt priuilegia de priuilegijs, et in cap. contingit il ſecondo de ſent excommun. Et Alexander Tertius in c. recolētes, vbi gloſ. verb. communi iure de ſtat: Monach. ac latiſſimè declarat Suarez de legib. lib. 8. c. 36. ſubdens procedere in quocumque abuſu, ſemper enim inquit culpabilem, et iniurioſum eſſe priuilegio.*

79 Secundò per Conſtitutionem 41. Clementis Octaui, cuius explicita mentio fit in decreto ſecundi mandati, ſiquidem in §. 8. non ſolùm mandat procedi ad ſubhaſtationem, & vēditionem Ciuitatum, & aliorum locorum modo ſuperiùs diſpoſito, ſi inter Creditores Ducum, ac Principum extent aliqui occaſione tàm Montium, quàm Cenſuum, qui nō fuerint integrè ſatisfacti de fructibus, ſed per dictionem (Vlteriùs) addit, quod ipſa Congregatio omninò deueniat ad extinctionem dictorum Montium, & Cenſuum. Ideòq. licet Creditores fructuum inſtent ſolùm pro illorum ſatisfactione, nihilomious mandat Congregationi, vt ex officio procedat ad extinctionem ab illis nec petitam, nec aptam de Iure peti, cū Cenſus eorum reſpectu ſint irredimibiles iuxtà Conſtitutionem Pij V. Vultque idem ſeruari in duobus caſibus etiam quoad Duces, & Principes, qui ſuo tempore fructus quotannis ſoluerint. Altero ſi Montes, vel Cenſus nō extinxerint intrà tempora conuenta in erectione ipſorū Montium, aut Fdeiuſſoribus promiſsâ in impoſitione, & venditione cenſuum. Altero ſi in toto, vel in parte non adimpleuerint, vel non obſeruauerint alia pacta appoſita in eiſdem erectionibus Montium, & impoſitionibus, ac venditionibus cenſuum, vel alias conuenta. Vtroque enim caſu præciſè mandat, quod ipſa Congregatio eos ad dictorum Montium, & Cenſuum integram extinctionem cogat, & compellat, etiamſi dies extinctionis non aduenerit, idemque virtualiter cauetur 80
in Conſtitutione Pauli V. ſuper deputatione Congregationis Montium, cuius pariter mentio fit in dicto decreto ſecundi mandati.

81 Tertiò ex voluntate extinguendi Mōtes Plani Abbatiæ, & Farneſij primæ erectionis præter vltimam additionem locorum mille, quam ipſe Dux expreſsit in dictis conuentionibus initis cū Martello, & Grillo, ibi *extinguere velit loca ſeptem millia quingenta quinquaginta Mōtis Farneſij, et loca duomillia Plani Abbatiæ etc.* Nam duo indè reſultant; Primum quod declarauit tunc vti velle facultate extinguendi Montem Plani in erectione eius voluntati remiſſæ per verbum (Liceat) ſicque

ſicque illam poſuit in eſſe perfecto, adeò vt non potuerit amplius variare; nā quod ſemel placuit amplius diſplicere non po-
82 teſt, *c. quod ſemel, vbi Din. et alij de reg. iur. in 6.* & ad hoc ſufficit ſemel expreſſa voluntas, *Archidiacon. in cap. ne captandæ n. 2. verſ. nàm ſufficit de conceſſione præbēd. Mainer. in l. nemo poteſt mutare num. 11. poſt med. verſ. ſecundum quem ſufficit, ff. de regul. iur.*
83 Alterum, quod remiſit beneficium protrahendi extinctionem Montis Farneſij ad finem anni duodecimi duraturi inſpecta prorogatione per totam diem 17. Iulij 1642. Nam ſicut ex prima erectione poterat elapſo ſeptennio agnoſcere onus extinguēdi, licet facultatem haberet protrahendi extinctionem neceſſariam ad duodecim annos, ità quoque ex dicta prorogatione voluit idē onus ſubire poſt ſeptennium, & declarando ſuam voluntatem tunc extinguendi remittere beneficium vlterioris temporis, cum fuerit conceſſa iiſdem modo, & forma præſcriptis, & ordinatis in cedula erectionis; Vndè liquet reſpectu dictorum locorum acceſſiſſe etiam voluntatem Ducis, ad cuius implementum cogi potuit, quià voluntaria ab initio, dùm explicantur, abeunt ex poſt facto in neceſsitatem, *l. ſicut, vbi*
84 *notatur C. de act. et oblig.* Nec proptereà fuit in eius poteſtate amplius nolle, aut velle extinguere, ex quo ſemel voluit, *vt arguit Cagnol. in l. 3. num. 4. verſ. et in eius, ff. de regul. iur.*

Nec deducta per Authorem excludūt applicationem dictæ Conſtitutionis 41. Clementis VIII. Non primum quod loquatur de ſolis Montibus erectis antè illius promulgationem ob participia (erectorum, & impoſitorum.) Nam reſpon-
85 detur primò, legis intentionem in proferendis huiuſmodi participijs non reſpicere tempus, quo ipſa editur, ſed quo continget quæri de re per ipſam diſpoſita, vt rectè inquit *Gemin. in cap. nè aliqui num. 3. verſ. nec obſtat quod textus de priuileg. in 6.* Ponderādo, quod licet participium (conceſſis) expreſſum in lege videtur eſſe temporis præteriti; non tamen eius intentio eſt diſtinguere conceſſa antè illius editionem à concedendis poſt, ſed ſolum, vt ei locus ſit, quoties continget quæri de viribus talis rei conceſſæ, qua ratione Clemens VIII. verba dictæ Conſtitutionis directa in Congregationē, quod omninò deueniat ad extinctionem dictorū Montium, cōcepit in futurum, vt innueret intellexiſſe de erectis antè executionem ſui præcepti; non autem antè promulgationem ipſius Conſtitutionis.

Secundò, verba legis extendi ad futu- 86
ra quādo illius ratio adaptatur etiam futuris, *Gemin. in d. cap. nè aliqui nu. 3. verſ. quæro, et quarto de priuileg. in 6. Felin. in cap. fin. col. 2. ante finem verſ. hoc modo de conſti. Roman. conſ. 323. num. 2 et 3.* quod in terminis dictæ Conſtitutionis 41. latiſsimè probat, *Gratian. diſcept. 608. per tot.* inquiēs illius rationem, & cauſam publicæ fidei, ex qua mouetur, æquè militare in præteritis, & futuris, ac in fine teſtatur ità iudicatum fuiſſe, idemq. pro indubitato ſuppoſuit, *Rot. deciſ. 36. num. 1. in fine, & 3. poſt med. vtrobique in verſ. quamobrem par. 5. recent.* quæ etiam in ſimili reſpondit, ſta- 87
tutum Eccleſiæ circa dignitates erectas comprehendere tàm erectas antè, quàm poſt illius editionem, nempè in *Iacen. Archidiaconatus 14. Iunii 1589. coram Lancellotto ſeniore*, & facultatem transferendi penſiones reſeruatas verificari in his quæ poſteà fuerunt reſeruatæ, *teſte Buratto deciſ. 12.*

Tertiò, contrarium inconcuſsè ſerua- 88
tum fuiſſe vſque in præſens, nàm vera interpretatio ſumitur à practica, *Bald. in c. 1. in princ. de feudo ſine culpa nō amitt. Aym. conſ. 118. nu. 2.* Quarè propter huiuſmodi obſeruantiam dicta Conſtitutio comprehendit futura, *Caſtren. conſ. 314. in fine, verſ.*

Digitized by Google

verſ. Item ſi prædicta par. 1. Ex quibus etiã ità concludit *Gratian, d. diſcept.* 608 *n.* 14. *in fine cum tribus ſequen.*

89 Minus ſecundum quod loquatur de Montibus in quorum erectione fuit expreſſa conditio extinguẽdi infrà certum tempus; nàm dupliciter euertitur. Primò ex verbis dicti §. 8. Non ſolùm quià in verſ. *Et vlterius ad extinctionem dictorum Montium &c. ipſa Congregatio omninò deueniat*; Indiſtinctè loquitur de Montibus, & ſic locus eſt regulæ, quod lex indiſtinctè loquens eſt accipiẽda ſine diſtin-
90 ctione, *l. de pretio, ff. de publican. l.* 1. *& l. generaliter, ff. de legat. præſt.* Etiãſi maior ratio
91 ſit in vno caſu, quam in alio, *l.* 1. §. *quod autem, ff. de aleatoribus, Surd. cõſ.* 271. *n.* 28.
92 *vol.* 2. Sed potiſsimè quia in ſequẽti verſ. iubet idem ſeruari, hoc eſt deueniri ad extinctionem dictorum Montium duplici caſu alternatiuè expreſſo, in quorũ primo ſupponitur dicta conuentio extinguendi infrà certum tempus, cum dicat niſi intra illud fuerint extincti; In ſecun-
93 do autem nulla eius ratio habetur, ſed ſolùm, quod non fuerint adimpleta, vel nõ obſeruata alia pacta appoſita in eorum erectionibus, nàm cum de natura alterna-
94 tiuæ ſufficiat vnam partem ex alternatis eſſe veram, licèt altera ſit falſa, nec requiratur concurſus vtriuſque vt ſit locus diſpoſitioni, *l. ſi hæredi plures ff. de condit. Inſtit. l. ſi ità ſtipulatus fuerit, vbi Alexand. ff. de verb. oblig. Soccin. ſen in l. ſi is, qui ducenta* §. *cum ità num.* 6. *ff. de reb. dub. Rip. in c. inter cætera num.* 24. *de reſcript. cum ſimilibus.* procul dubio liquet, Clementem dictæ Congregationi iniunxiſſe, vt deueniret ad extinctionem Montium, ſi pacta in illorũ erectione conuenta nõ eſſent adimpleta, etiamſi nullum tempus præfinitum haberent ad extinguendum.

95 Secundò quia ſub eadem verborum ſtructura idem diſpoſuit de Montibus, & Cenſibus, ibi, *ad extinctionem dictorum Montium, & Cenſuum*. Rursùſque ibi. *ſupradictos tamen Montes, vt præfertur erectos, vel cenſus impoſitos, & venditos, &c.* nàm ſicut in cenſibus reſpectu creditorum non potuit conſiderare dictam conuentionem extinguendi, quià ad eorum fauorem nequit apponi iuxtà Conſtitutionem Pij V. Ità nec illam videtur conſideraſſe in Montibus, quando non fuerunt adimpleta, nec obſeruata alia pacta appoſita in earũ erectionibus, nàm vna, 96
& eadem oratio plura determinans debet æqualiter omnia determinare, *l. final. vbi Bart. C. de ſent. & interlocut. omn. Iud. cum vulgar.*

Nec Tertium, quod loquatur de Baronibus Vrbis, nàm contrarium expreſsè 97
legitur in §. 1. ibi, *Barones, & Domicellos noſtros, & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ ſubditos tàm in Vrbe, eiuſque diſtrictu, quàm in vniuerſo Statu noſtro Eccleſiaſtico exiſtentes*. Iterumque in §. 2. ad medium, ibi, *Quorumcumque Principum, Ducum, Marchionum, & Comitum, aliorumque Baronũ, & Domicellorum in Vrbe, eiuſque diſtrictu, & in vniuerſo Statu noſtro Eccleſiaſtico exiſtẽtium.* Quod ſi Author replicet ſub nomine Ducum intellexiſſe de his, qui non excedunt conditionem Baronum Vrbis, duplicem reſponſionem offendet. Alteram quod Paulus III. illis æquiparauit 98
Ducem Caſtri vt curſim tactum fuit in prima parte, & latius dicetur in tertia. Alteram, quod dicta Conſtitutio, vt innueret ſenſiſſe de omnibus tàm minoris, quàm maioris potentiæ, ſpecificationi Principum, Ducum, &c. ſuperiùs relatæ addidit clauſulam, *cuiuſcunque ſtatus gra-* 99
dus conditionis, & ordinis, fuerint, quæ per ſe apta eſt etiam Reges, & Imperatores comprehendere, *c. quamuis, verſ. cuiuſcumque dignitatis de offic. ordin. in* 6. *Gomeſ. in prohem. regul. q.* 4. *num.* 2. *verſ. nàm dicta, Gonzal. ſuper reg.* 8. *gloſ.* 58. *nu.* 2. *Greg. XV. deciſ.* 230. *num.* 4. *&* 5. Ac verba, *Etiamſi*

dignitate quacumque Eccleſiaſtica etiam Cardinalatus honore præfulgeant; nam cum
100 verum ſit, Cardinales Regibus æquiparari Barbat. *de præſtantia Cardinalium par.* 1.
ſect. 1. *n.* 24. Eos comprehendendo, multò
fortius videtur voluiſſe comprehendere
Duces qualiſcumque potentiæ, cum longè
ſemper diſtet à Regia, & valeat argu-
101 mentum de maiori ad minus *auth. multo
magis* C. *de ſacr. ſanct. Eccl.* Quibus additur maiorem, vel minorem potentiam
102 nil conferre ad finem Clementis Octaui,
conſulendi per dictam Conſtitutionem
fidei publicæ, quam Summi Pontifices
interpoſuerunt in erectionibus Montiũ,
vt dicitur in fine §. 1. nam cum pari for-
miter locum habeat in omnibus, qui di-
ctas erectiones obtinuerunt, ſiuè ſint mi-
noris, ſiuè maioris potentię, effici etiam,
vt omnia ob illam diſpoſita ſingulis ad-
103 aptentur. quia ſecundùm naturam finis
regulanda ſunt omnia, quæ ordinantur
ad eundem finem *l. oratio ff. de ſponſal.* Bal.
conſ. 105. *col.* 2. *vol.* 1. *Surd. conſ.* 367. *num.*
25. *vol.* 3.

104 Nec quartum quod iuſſerit dictam
extinctionem fieri occaſionaliter tãtùm,
quando deuentum fuit ad ſubhaſtatio-
nem, & deliberationem bonorum pro ſa-
tisfaciendis Creditoribus, qui compa-
ruerint, ac ſua mandata exhibuerint in
Congregatione Baronum, & poſſeſſio
capta fuerit nomine Cameræ ad eorum
vtilitatem, & commodum, non autem
per ſe, quando prædicta non interuene-
runt, Nam reſpondetur primò, contra-
rium verius eſſe, quia in §. 8. decidit duos
caſus diuerſos; Alterum ſub principio,
quandò inter dictos Creditores adeſſent
etiam hi, quibus non fuiſſet integrè ſa-
tisfactùm de fructibus Montium: Alte-
rum in *verſ. idemque ſeruari volumus,*
quando nulli fructuum Creditores adeſ-
ſent, nam ſupponit quod illi ſuo tempore
quotannis ſoluti ſint, ſed vel ipſi montes
non fuerint extincti intrà tempora præ-
ſcripta in erectionibus, ſeù etiã alia pacta
in eis appoſita, & conuenta non fuerint
adimpleta, vel non obſeruata, ex quo pa-
tet in hoc verſ. feciſſe nouam diſpoſitio-
nem in caſu contrario priori ſcilicet non
exiſtentiæ Creditorum, qui inſtẽt pro ſa-
tisfactione; cum ſupponat fructus inte-
grè ſolutos fuiſse, & ſic nullum creditum
exigibile adeſſe ex parte Montiſtarum,
quod directò aduerſatur caſui præceden-
ti, in quo ſupponitur adeſſe Creditum
exigibile fructuum non ſolutorum; Ete- 105
nim verè contraria dicuntur ea, quæ co-
gnoſcuntur per affirmationem, & nega-
tionem ſecundum Bald *in repet. l. Aemilius*
39. *num.* 17. *ff. de minor.*

Secundò Montiſtas hoc caſu egiſſe 106
coram Cardinali Camerario pro fructi-
bus non ſolutis, Nam Hieronymus Lam-
pugnanus, Io. Paulus Sorbolus, & Io. Frã-
ciſcus Vinea ab eis deputati tàm die 12.
Iunij, quàm quarta Iulij 1641. reſpecti-
uè citarunt Frãciſcum Mangellum Pro-
curatorem Ducis per Acta Brunori ad eis
ſoluendum omnes, & quoſcumque fru-
ctus decurſos, & non ſolutos vſque ad il-
lam diem, Alias decerni, & relaxari mã-
datum executiuum; Vndè liquet etiam
locum fuiſſe primo caſui dicti §. octaui,
quod ſcilicet Congregatio reperto Mon-
tiſtas eſſe Creditores fructuum debuerit
ex iuſſu Clementis Octaui d. §. 8. omni-
nò deuenire ad extinctionem Montium,
de quorum fructibus nouerat integrè ſa-
tisfactum non fuiſſe.

Tertiò omnem difficultatem ceſſare 107
ex ſubſequenti Conſtitutione Pauli V.
qua cauetur, vt Congregatio Montium
manu regia, & iuris etiam ordine non
ſeruato, vnica tantùm citatione executa
etiam Domi dimiſſa copia, & contra ab-
ſentes per affixionem ad valuas Cameræ
Apoſtolicę pro extinctione valeat tàm ad
inſtantiam Montiſtarum, eiſque negli-
genti-

Digitized by Google

gentibus Commiſſarij Cameræ , quàm
ex officio procedere ad relaxationem , &
executionem mandatorum, ac quorum-
cumque bonorum ſubhaſtationem , &
deliberationem; nam remouet omnia
obiecta per Authorem libelli, qui videns
non poſſe euitare vim alternatiuæ ſupe-
riùs ponderatæ in §. 8. dictæ Conſtit 41.
contrà Barones ſub præcitato *verſ. idem-*
108 *que ſeruari volumus*, confinxit etiam ſe-
cundum illius membrum loqui de pactis
appoſitis in erectionibus montium, *quali*
però habbiano il tempo preſcritto per la reden-
tione, nam talia verba ibi minimè legun-
tur, ideòque manet inconcuſſa pondera-
tio dictæ alternatiuæ ad firmandũ, quod
Dux potuit vrgeri etiã ad extinctionem
Montis Plani Abbatiæ, in quo nullum
tempus præfinitum fuit extinctioni ne-
ceſſariæ , ſed voluntariæ tantùm poſt
octennium licèt hoc minimè opus ſit,
quia præceſſerat declaratio Ducis, quod
volebat eum extinguere , & ſic illa me-
diante actus de voluntario tranſierat in
neceſſarium iuxtà ſuperius dicta.

109 Facultas autem in ſingulis erectioni-
bus conceſſa Montiſtis liberè, & abſolu-
tè diſponendi de bonorum poſſeſſione ,
& fructibus tanquam de re propria in de-
fectum obſeruationis promiſſorum non
potuit impedire relaxationem mandati
exequendi pro dicta extinctione, etiam
ad effectum ſubhaſtandi , & deliberandi
proprietatem ; Tum quia adiecta fuit in
fauorem Montiſtarum, vt illâ vti poſſint
omni caſu, quo contenta , & promiſſa in
erectionibus non adimplerentur , vel nõ
obſeruarentur , nec propterea debet re-
torqueri in eorum odium , vt propter il-
lam tacitè priuentur remedio extinctio-
nis eidem competente, tàm de Iure com-
muni , quàm ex Conſtitutionibus Apo-
ſtolicis; Eſſet enim dimittere ſuum , non
autem à debitore nouum remedium ac-
quirere , quod minimè dicendum eſt
l. quamuis 5. ff. de pignorat. act. vbi Caſtren. 110
num. 5. ponderat quod Creditor non obſtante
facultate vendendi pignus poteſt capi facere
debitorem, ſubdens hoc eſſe menti tenendum
Ruin. conſ. 88. nu. 4. & 5. vol. 1. Surd. conſ.
98. num. 7 & infra vol. 1. Rota in Bonon.
pecuniaria 10. *Maij* 1621. *coram Rem-*
boldo.

Tùm quia legitur eiſdem conceſſa per 111
verbum poteſtatiuum (liceat) quod ſicut
à neceſſitatis inductione abhorret *l. ſæpè*
audiui ff. de offic. Præſid. *Alex. conſ. 8. num. 8.*
vol. 6. Put. deciſ. 8 lib. 2. in correct. Seraph.
deciſ. 739. num 3. Ità nec inducere poteſt
neceſſariam remiſſionem alterius reme-
dij de Iure competentis , Vndè inquit
Rota coram Seraph. deciſ. 573. num. 2. quod 112
non ſtat taxatiuè, nec excludit alios mo-
dos faciendi , eoque minùs reſpectu Mõ-
tis Farneſij ſecundæ Erectionis, cui adie-
cta fuit clauſula , *Quatenus Montiſtis , &*
Depoſitarijs placuerit , & iſta via electa, li-
ceat variare , & penitus deſiſtere , & agere
ad implementum promiſſorum contra ipſum
Sereniſſimum Ducem, & ſuos.

Nec proindè obeſt aſſertum broccar- 113
dicum, quod prouiſio hominis tollit pro-
uiſionem legis; nam ſolùm procedit, quã-
do illa eſt incompatibilis ſuper eodem
facto cum prouiſione legali , tunc enim
ex regula contrariorum vna alteram ex-
cludit, quia ſimul ſtare nequeunt , ſecùs
quando ſe compatiuntur, nec vna alte-
ram impedit B*art. conſ. 12. nu. 3. poſt med.* 114
verſ. aut vna ſuperuenit, & in fine verſ. aut
ſe compatiuntur lib. 2. vt hìc, quia in caſum
non implementi , vel non obſeruationis
contentorum in erectionibus Montium,
duplex via intentari poteſt; Altera iuxtà
prouiſionem hominis retinendi poſſeſ-
ſionem bonorum dotalium penes Mon-
tiſtas, deque illâ , ac fructibus in eorum
vtilitatem liberè , & abſolutè diſponendi
ſi iudicetur vtilius non reſilire à contra-
ctu, nec repetere ſortem principalem; Al-
tera

Digitized by Google

tera iuxta prouiſionem legis diſtrahendi proprietatem gratiâ extinguendi Montes, ſi tutius videatur eſſe contractum reſoluere, & ſortem repetere, vel ratione damnorum, & intereſſe, vel conditione dictarum Conſtitutionum Clementis Octaui, & Pauli V.

Quod faciliùs procedit diſtinguendo
115 inter prouiſionem Iuris Communis, & dictarum Conſtitutionum; Illa enim nequit dici excluſa per dictam prouiſionem hominis, cum ſit extraordinaria, ſiuè deducatur ex promiſſione damnorum, & intereſſe, ſiuè ex defectu cauſæ finalis, ſiuè ex abuſu gratiæ, in qua non militat di-
116 cta aſſertio, quod hominis prouiſio tollit prouiſionem legis, quæ magis proſpexit *Bart. in l. ſi cum dotem nu. 5. ff. ſolut. matrim. Bald. in l. 1. num. 15. verſ. quæro ſi Teſtator C. commun. de legat. cum ſimilib. congeſt. per Gabriel. tit. de reg. Iur. concluſ. 8. num. 4.* niſi probetur adiectam fuiſſe gratiâ nouandi, & recedendi ab iſta, quod non præſumi-
117 tur, niſi pateat expreſsè *Aym conſ. 422. num. 4. in fine*, nec ambæ proueniant ex
118 eodem fonte, ſed à diuerſis, cum dicta prouiſio hominis ſupponat noluntatem, legis verò voluntatem reſoluendi contractum, & repetendi ſortem, & ſic habeant diuerſa principia, quo caſu etiam limitatur dicta aſſertio *Bald. in l. certi Iuris num. 17. C. locati cum alijs per Gabriel dicta concluſ. 8. num. 15.*

119 Hæc autem inducta fuit ad ſupplendã prouiſionem hominis iniungendo Congregationi, vt etiam ſi Montiſtæ eſſent integrè ſatisfacti de fructibus, nihilominus ad montium extinctionem omninò deueniret, ſi alia pacta non fuiſſent impleta, vel obſeruata, nec propterea poteſt per eam tolli *Bald. in l. vbi adhuc num. 16. C. de Iur. dot. Gabr. d. concluſ. 8. num. 18. Mantic. de tacit. lib. 11. tit. 19. num. 45.*
120 Imò, reſpicit intereſſe publicum ſcilicet ex ſoluendi per extinctionem Montium fidem publicam, quam Summi Pontifices interpoſuerunt in illorum erectionibus continentibus pacta, quæ non fuerunt vel impleta, vel obſeruata, & ſic finẽ diuerſum à prędicta hominis concernente ſolùm intereſſe priuatum, nempe pecuniarium Montiſtarum, qui propterea 121
neque volentes illi potuiſſent renunciare *l. ſi quis in conſcribendo C. de pact. gloſ. in c. ſi diligenti verb. pacta priuata de for. compet. cum ſimilibus.*

Quibus additur, omnem difficultatem 122
ceſſare hoc caſu, quia prouiſio legis verſatur circa extinctionem Montium, & ſic circa caſum omiſſum in prouiſione hominis remedium præbente cum ſuppoſito durationis, nam B*aldus in lectura antiqua l. ſi ſeruum ff de action. empt.* negat prouiſionem hominis tollere prouiſionem legis in caſu omiſſo.

Nec proindè refert, quod Raynutius
Dux ſtipulationi dictæ facultatis conceſ- 123
ſæ Monti Plani Abatiæ inſeruerit clauſulam (*dummodò ex illis non ſequatur dictorum bonorum alienatio*) quæ non legitur in cedula Motus proprij, nec propterea debuiſſet inſeri in actu geſto pro illius executione, Nam reſpondetur primò ex hoc eſſe habendam pro nõ appoſita, cum in eodem Inſtrumento fuerit adempta vis omnibus, quæ poſſent eſſe contraria contentis in dicto Motu proprio. Secundò quia ſtat per modum paræntesis, nec ideò poteſt trahi extrà limites orationis, cui eſt inſerta ad excludendam alienationem bonorum ex alijs remedijs de Iure competentibus, vel inductis per dictas Conſtitutiones, nàm verba adiectiuè po- 124
ſita in medio orationis, eam tantum qualificant, & reſtringunt, nec poſſunt vlterius extendi *Bart. in l. fin. verſ. ſi enim illa clauſula ff. de reb. dub.* Bald *conſ. 412. nu. 4. vol. 3. Rot. deciſ. 257. num. 2. par. 5. recent. & in Bonon. fideicommiſſi 27. Nouembris 1637. coram Pirouano, ſub §. quia tam alle-*

gati,

gati, *&* 30. *Ianuarij* 1640. *R.P.D. Royas ſub* §. *quibus concluſionibus*, *& ſeq.*

Quarè ſicut ex iàm dictis firmatur iuſtitia mandatorum, quæ decreta, & relaxata fuerunt contra Odoardum Ducem
125 pro extinctione Montium: Ità neque eorum validitas in dubium reuocari poteſt, quià iuriſdictio Cardinalis Camerarij, & Congregationis Montium, ac Baronum vltrà proprias, & ordinarias facultates ſtabili nexu iuncta fuit, & ineuitabilem ſoliditatem accepit ex reſcripto Sanctiſsimi, & conſenſu in illam Mangelli, & Monguidi, qui nomine Ducis comparuerunt, & proteſtati ſunt.

126 Nec quoad Mangellum poteſt controuerti, quin haberet legitimum mandatum à Duce, nàm contrarium liquet ex tribus Documentis publicis. Primo ex actis Angeli Bracci Notarij Placentini ſub die 6. Auguſti 1630., quo Dux ſuum Procuratorem conſtituit Equitem Alphonſum Carandinum ad omnes eius cauſas motas, & mouendas, actiuas, & paſſiuas, Eccleſiaſticas, & profanas cum facultate ampliſſima ad lites, & facultate alios in eius locum deputandi. Secundo per acta ſucceſsoris Io. Baptiſtæ Scalæ Notarij Capitolini, quod dictus Eques Carandinus, Mangellum cum eiuſdem facultatibus generaliter ſubſtituit in omnibus cauſis. Et tertio rogato per Alexandrum Magnum Notarium Parmenſem die 7. Auguſti 1641. in quo Dux aſſerens, ſe alias Procuratorem feciſſe dictũ Equitem Carandinum, illum, ac omnes ab eo ſubſtitutos reuocauit; Nàm ex prædictis conſtat Mangellum vigore dictæ ſubſtitutionis fuiſſe legitimum Procuratorem Ducis die 13. Iulij, qua ſuum mandatum produxit, ac die 17. & 18. eiuſdem, quibus citatus ad dicendum contra dictum reſcriptum Sanctiſsimi, bis in Actis oppoſuit generalia contrà, & alias proteſtationes fecit; Non enim potuit à Duce reuocari poſtquam per huiuſmodi Actus fuerat effectus Dominus litis. 127 *Bart. in l. poſt litem num.* 3. *ff. de procuratoribus*, *Bald. in l. nulla num.* 3. *C. eodem Caſtren. in l. quæ omnia num.* 1. *ad medium*, *ff. de procuratoribus*, *Vant. tit. de nullit. ex defect. mandat nu.* 110. *Myſsinger. centur.* 5. *obſer.* 44. *num.* 5. *Gratian. diſcept.* 618 *num.* 1. *&* 2. *Put. deciſ.* 8. *de Procuratoribus*, *& deciſ.* 52. *num.* 2. *lib.* 2. *Rot. deciſ.* 145. *n.* 1. *par.* 1. *diuerſ.*

Quin etiam ceſſante illius mandato ſatis fuiſſet citatio executa in Palatio Ducis, 128 vbi tunc eius nomine degebat Monguidus, qualemcumque perſonam pro eo gereret, Nàm ità legitur conuentum in ſingulis erectionibus dd. Montium. Primâ ſcilicet Montis Plani Abbatiæ, ibi, *Ad omnem ſolam*, *& ſimplicem etiam extraiudicialem*, *& minus ſolemnem dicti Sereniſsimi Venditoris*, *vel eius Agentis*, *& Miniſtrorum requiſitionem*, *& interpellationem etiam domi dimiſſa copia*, *ſeù in caſu abſentiæ ab Vrbe per audientiam contradictarum*, Ac vtrâq. Montis Farneſij *ſtante explicita electione domicilij in eodem Palatio pro ſe*, *ac ſucceſsoribus*.

Præterea ſatis fuit affixio Edicti, quod 129 potuit decerni contrà Ducem tàm vigore dictæ Conſtitutionis Pauli V. ſuper deputatione Cõgregationis Montiũ, quàm ex dicto ſpeciali reſcripto Sanctiſsimi.

Inſtantiæ verò Commiſſarij Cameræ 130 pro Montiſtis non curantibus agere ad extinctionem dictorum Montium, vt Author ſupponit, pluſquam legitima fuit, dùm pro illis ad hoc, mandatum habebat à lege, nempè dicta Conſtitutione Pauli Quinti, ibi. *Vel ipſis negligentibus ad inſtantiam Commiſsarij generalis Cameræ noſtræ*, *quem in his etiam quod de intereſſe Cameræ principaliter*, *ſeù alias non agatur partem facere volumus*. Qui ad cautelam dumtaxat, vt appareret de negligen-

tia Montiſtarum prius requiſiuit eorum Deputatos ad agendum pro dicta extinctione, & allocutus eſt aliquos ex ſingulis Montiſtis.

131 Nec etiam obeſſet ſi diceretur, non omnia fuiſſe in Actis exhibita, & formiter probata, quia Congregatio Baronum ex dicto §. 8. Conſtitutionis 41. Clementis Octaui habebat facultatem procedendi ad huiuſmodi extinctionem Montium captâ per ipſam ſummariâ informatione, etiam extraiudiciali, Congregatio verò Montium ex dicta Conſtitutione Pauli Quinti, manu regia, & iuris ordine non ſeruato, ac etiam obligationibus erectionibus, additionibus, aggregationibus, & extinctionibus Montium non exhibitis, nec inſpectis.

Itaque firmatâ iuſtitiâ, & validitate Iudicij deſuper acti per Commiſſarium Cameræ, fruſtrà quæritur Author de mandatis vt ſupra decretis, & relaxatis contrà Ducem pro extinctione dictorum Montium.

Digitized by Google

PARS TERTIA.

In qua Præcepta, ſeù Monitoria Auditoris Cameræ contra Odoardum Ducem, vt nouas munitiones demoliretur in ſtatu Caſtri: Milites dimitteret, ſeque coram eo ſiſteret, Ac ſententia vendicantur ab obiectis.

AVthor eam diuidit in quatuor articulos; Primum ſuper cauſâ, quâ nituntur dicta præcepta. Secundum ſuper eorum qualitate. Tertium ſuper pœna excómunicationis, & Quartũ ſuper pœna rebellionis, quibus ſubnectit diſcurſum ſuper ſententia lata contra Ducem; ſed prius in facto recenſet proemium inſtrumenti celebrati inter Cameram Apoſtolicam, & Petrum Aloyſium Farneſium die 7. Martij 1537. ſuper permutatione Ciuitatis Caſtrenſis, & Oppidi Griptarũ cum Iuribus Fraſcati, & particulam notulæ inſtrumenti, iuxtà quam dicitur, Cameram conceſſiſſe eidem Petro Aloyſio Oppidum Montis Alti die 29. Maij 1535. Narratque in Inueſtitura Ducatus Caſtri conceſſas fuiſſe Ducibus omnes facultates, & prærogatiuas, quas alij Duces tàm Pontificij, quàm Cæſarei obtinebant, ſeù poterant obtinere ex ſuis Inueſtituris; Vndè infert, quod cum Duces Vrbini facultatem habuerint muniendi, & fortificandi loca ſui Ducatus, nullâ Romani Pontificis deſuper requiſitâ licentiâ, eadem quoque videtur conceſſa Ducibus Caſtri. Verùm vt omnia ſingulatìm refellantur ſimili partitione retexenda eſt, quâ fuit contexta.

SVMMARIVM.

Nullus ſubditus poteſt de Iure communi abſque licentia Principis Caſtra ædificare, & munire n. 1. præſertim in limitaneis n. 9. neque etiam Feudatarius n. 10. eòque magis illo inuito, & iubente nouas munitiones deſtrui n. 11. Aut ſi munitio accedat ad propugnacula n. 14. Vel fiat ad caſtrametationem n. 15. Vel ſit periculoſa, aut dedecori Principi, ſeù Ciuitati Dominanti num. 20

Libido dominandi à munitione Caſtrorum maximum ſumit incrementum n. 2.

Non intereſt publicæ ſalutis, quod inexpugnabiles reddantur ſubiectis alterius Imperio num. 30.

Loca munita præbent materiam ſeditionis num. 40.

Nemo poteſt ſuo arbitrio conſtruere opus nouum, ſi ſit ad æmulationem alterius, vel excitet materiam ſeditionis n. 5. et de communi, quandò tendit ad muniẽdum n. 12.

Dominus locorum munitorum facilè poteſt reſiſtere ſupremo Domino *n. 6.*

Libertas naturalis non eſt attendenda, quando reſiſtit ſalus publica n. 7.

Diſpoſitio l. per Prouincias 10. *C. de ædific. priuat. procedit in nudo murorum ambitu, nõ in munitione ad reſiſtendum vehementiæ hoſtili n. 8.*

Pro deſtructione noui ædificij ſufficit, quod adſit principium æmulationis n. 13.

Propugnacula non poſſunt erigi ſine licentia ſuperioris, etiã ceſſante æmulatione n. 14.

Caſtella nequeunt teneri ad caſtrametatio-

nem n.15. quæ eſt, vt quis ſe tueri poſſit ab exercitu n.16.

Ciuitates compræhenſæ in pace Conſtãtiæ inita cum Federico primo, non poterant, nec intùs, nec extrà munitiones facere ſine iuſſu Principis n.17.

Aedificia, quæ in amplitudine, et fortitudine non conueniunt formæ antiquæ, ſed nouam inducunt, ſunt prohibita, prius quàm fiant, et deſtruenda poſtquam facta ſunt, tanquam ſcandaloſa n.18.

Vbi poteſt adeſſe ſcandalum, nihil noui eſt permittendum n.19.

Nemo de Iure poteſt ſine iuſſu Principis exercitum comparare n.21 ſociari vllo numero Equitum, vel peditum n.22. Arma cogere n.23. ſeruos, aut liberos homines in Armis habere n.24. et Armorum mouendorum facultatem prætendere n.25.

Ad ius ſuperioritatis pertinet delectum agere, et conuocare ad arma, iiſque interdicere n.26. Arces munire, et in fortalitiis extructis milites apponere n.27.

Constructio, & munitio locorum prohibetur in ſtatu Eccleſiæ per conſtitutionem Cardinalium Bertrandi, & Aegidij, ac quæcumque ædificatio, quæ pro defenſione, vel offeſione ſpeciem fortalitiorũ habeat n.28. etiamſi ageretur de eorum refectione n.29.

Sub dicta prohibitione compræhẽduntur munitiones factæ à Duce cum mutatione formæ antiquæ n.30.

Declarantur conſ. Baldi, & diſtinctio Abbat. n.31.34. & 35.

Verba, cuiuſcunque Ditionis, & Status, compræhendunt feudatarios quantumuis maximos n.32. etiamſi Reges n.33.

Tria ſecundum Bald. (qui etiam refellitur) copulatiuè requiruntur, vt feudatarius, non obſtantibus Conſtitutionibus Cardinaliũ Bertrandi, & Aegidij, poſſit munire n.34.

Cardinales Bertrandus, & Aegidius habuerunt iuriſdictionem illimitatam in omnibus locis, tam immediatè, quam mediatè ſubiectis Ditioni Eccleſiaſticæ, & ſpeciatim in Prouincia Patrimonij n. 36.

Declaratur ſenſus Rotæ in deciſionibus allegatis n.37.

Alexander Sextus ſuâ Conſtitutione primâ prohibuit, nè quis ſibi Ius dicat, & Iuſtitiam ſuæ cauſę tueatur, coadunando arma, & armatos, ſed coram Iudice illam deducat n.38. & dicta prohibitio procedit etiam ad tuendam, & retinendam poſſeſſionem n.42.46. & 49.

Dicitur, quod Dux incidit in dictam prohibitionem, quia muniuit ad euitandam executionem Iudicati pro Montiſtis n. 39. & 48.

Excedens modum in vtendo rebus ſuis, non agit honeſtè, & ſcandalum inducit n. 40. & exceſſiua ſemper tèdunt in noxam Reipublicæ n.41. & 110.

Vbi ſubeſt eadem ratio, idem Ius ſtatuendum eſt n.43 Et Dictio, Iuris, non ſeparat ea, quæ nexus rationis connexuit, etiam ſi caſus ſint diuerſi n.44.

Ob identitatem rationis non fit extenſio de caſu ad caſum, ſed pariformis omnium compræhenſio n.45.

Dictio, vel, ſiuè accipiatur pro diſiunctiua, ſiuè pro alternatiua, ſufficit, quod vna pars verificetur n.47.

Generalis prohibitio, quod nemo ſibi Ius dicat, procedit etiam quoad poſſeſſionem retinendam n.49.

Sixtus V. per ſuam Conſtitutionem 75. prohibuit, nè quiſquam, etiam Dux, poſſit, nec priuatim, neque palàm excitare motus Armorum ſub pœna læſæ Maieſtatis, incurſu rebellionis, & priuatione feudorum, cum abſolutione populorum à Iuramento fidelitatis n.50. Et per declarationem Pauli V: dicitur huiuſmodi prohibitionem indiſtinctè procedere, etiam in retinenda poſſeſſionis, & quibuſcumque aliis caſibus, excepta tantùm cauſa vera, & neceſſaria ad vim vi repellendam cum moderamine inculpatæ tutelæ defenſionis num. 67.68. & 69.

Dicta

Dicta Conſtitutio eſt generalitèr intelligēda in omnibus caſibus in quibus fit conuocatio armatorum n.68.& 99.

Oſtenditur, quod Dux inciderit in pœnas dictæ Conſtitutionis n. 51. & dicitur comprꝗhenſus ſub ex tàm ea voluntate, quàm poteſtate diſponentis à n.52. vſque ad 67. nec poſſe excuſari ſub prætextu defendendę poſſeſſionis nu. 70. ſeù tuendi loca maritima nu. 71. neque ex facultate muniendi Caſtrum, quam dicit ſibi tributam in eius permutatione cũ Iuribus Fraſcati, à n. 72. vſque ad 77. Neque ex Inſtrumento conceſſionis Montis Alti à n.80. vſque ad 84. Neque ex prætenſa communicatione facultatum conceſſarum alijs Ducibus Pontificijs maioris potentiæ à num. 85. vſque ad 93. Neque ex conceſſione meri, & mixti Imperij, & ſupremâ potentiâ à n.94. per totum 107. Nec tandem ex eius bona voluntate à num. 105. vſque in finem articuli.

Habetur pro expreſſo, quod ſub generali vocabulo continetur n. 53. quoduè colligitur ex verbis legis num. 54.

Sacrilegum eſt dubitare de poteſtate Principis n. 55. & qui de ea diſputat, facit ſe illi ſuperiorem, & ponit ſedem ſuam in Aquilone num. 56.

Dominus per viam legis vniuerſalis poteſt derogare Iuribus feudatarijs n. 57.

Princeps inueſtit ſub tacita conditione, quod minimè priuetur ſuâ ſuperioritate, vt valeat in caſibus ſibi beneuiſis limitare Iuriſdictionem tranſlatam in Vaſſallum num. 58.

Summus Pontifex ratione directi Dominij, quod habet in aliqua Ditione, poteſt in his, quæ ſunt Iuris poſitiui, condere leges ibi ſeruandas num. 59.

Princeps poteſt iubere cuilibet Vaſſallo, quæ pertinent ad vtilitatem totius ſui ſtatus, tanquam reſeruata in quacumque conceſſione n. 90.

Eſt de natura feudi, vt ſuprema Poteſtas intelligatur excepta n. 61. Nec valet ab ipſa concedente diuelli num. 62.

Reprꝗhenditur ſcholiaſter ad votum Cardinalis Seraphini num. 63.

Dux Ferrariæ comprꝗhenditur ſub lege vniuerſali lata propter bonum publicum vniuerſi ſtatus Eccleſiaſtici num. 64.

Dux Caſtri, non eſt comparandus Ducibus Ferrariæ, Parmæ, & Vrbini num. 65.

Explicatur Molina de Iuſtitia, & Iure n. 66.

Facultas quandocumque, & quomodocumque ad libitum muniendi, non fuit conceſſa Petro Aloyſio Farneſio in Inſtrumento permutationis Caſtri cum Iuribus Fraſcati n. 72. & quatenus conceſſa expirauit primâ conſtructione n. 76. Nec poterat extendi extrà caſum defenſionis ab inuaſione inimicorum Sedis Apoſtolicæ num. 77.

Proœmium non facit Ius in his, de quibus diſpoſitio non loquitur determinatiuè n. 73.

Quęcunque facultas quantumuis libera reſtringitur ad terminos Iuris reſpectu modi n. 74. intelligitur de his, quæ fiunt ordinariè non extraordinariè n. 75. Ac limitata limitatum producit effectum num. 78.

Principis authoritas, ac voluntas ſemper intelligitur excepta num. 79.

Obligatio reficiendi Arcem Montis Alti adimpleta fuit per primam refectionē n. 80. altera ibi retinendi ſtatis temporibus certos equites pro defenſione affidatorum Dohanæ, & Colonorum arguit crimen per exceſſum numeri, temporis, ac finis deſignatorũ in notula Inſtrumenti conceſſionis dicti loci n. 81. & fuit remiſſa in erectionē Ducatus Caſtrenſis num. 82.

Obligatio tuendi Oppidum Montis Alti à deprædationibus Pyratarum non habuit facultatem muniendi cōtrà præceptum Principis num. 83.

Fines verbales obligationis ſunt diligenter cuſtodiendi num. 84.

Clemens VIII. declarauit non licuiſſe Duci Ferrariæ nouas munitiones facere n. 86.

Duces Vrbini non habuerunt facultatem muniendi-

Digitized by Google

muniendi, niſi in vltima Inueſtitura conceſſa de anno 1548. num. 87.
Communicatio facultatum tributa in erectione Ducatus Caſtri non poteſt intelligi de facultatibus non adhuc conceſſis n. 88.
Imitatio verificatur dumtaxat in eo, quod exiſtit num. 89.
Communicatio non porrigitur ad ea, quæ non ſine magna difficultate concedi ſolent; Ideòque indigent ſpeciali nota num. 90.
Mandata ſupremi Principis, gratia conſeruandi pacem publicam, & ſcandala vitandi, à quocumque ſunt ſeruanda n. 91.
Colligentes milites citrà Iuſſum Principis lædunt publicam Maieſtatem num. 92. & vſurpant ſpectantia ad ſolum Principem num. 93.
Conceſſio meri, & mixti Imperij quantumuis maxima non comprehendit Ius muniendi, & armandi ſine licentia Principis n. 94. vbi etiam declaratur Baldus in contrarium adductus.
Sub nomine maiorum regalium non venit Ius armandi num. 95. & 97.
In conceſſione regalium, ſine ſuprema ſuperioritate, ea tantùm veniunt, quæ poſsūt abſque illa exerceri num. 96.
Dux Caſtri non eſt Princeps ſupremus, & in erectione eius Ducatus expreſsè reſeruatū fuit Sedi Apoſtolicæ ſupremum Dominium num. 98.
Refertur decretum conſiſtoriale deſcriptum à Cardinale Alexandro Farneſio tunc Vice Cancellario ſuper confirmatione erectionis Ducatus Caſtrenſis cum expreſſa reſeruatione Dominij penès Sedem Apoſtolicam, & paritate Ducis Caſtri aliis Domicellis conſtitutis in diſtrictu Vrbis num. 99.
Soli Pontifici in Ditione Eccleſiaſtica competit militum copias parare num. 100.
Suprema Principis poteſtas non ſeparatur per ceſſionem directi, ac vtilis Dominij n. 101.
Dux Caſtri non poteſt extolli ſupra conditionem aliorum Baronum diſtrictus Vrbis num. 102.
Dictio, Alii, eſt nota ſimilitudinis n. 103.
Argumentum à ſimili procedit, cum ſimilitudo ſit in eo, in quo fit comparatio, licet in aliis ſit diſſimilitudo n. 104.
Parium potentia, eadem, nō maior eſt n. 105.
Paulus Tertius in erectione dicti Ducatus ſtuduit, Domum ſuam ſimilem facere Familijs Vrſinæ, Columnenſi, & Caietanæ num. 106.
Referuntur plures Commiſſarij miſſi ad loca dicti Ducatus ad exercendum diuerſos actus Iuriſdictionales num. 107.
Dux Ferrariæ non habebat ſupremum Dominium num. 108.
Animus Ducis in muniendo, & armatos conuocando refertur ad malam partem num. 109.
Dicitur fuiſſe impediendi executionem Iudicati pro Montiſtis n. 111. 114. & 119. & omninò malus apparet ex pluribus animaduerſis à n. 116. per totum n. 121.
Animus, talis eſſe cenſetur, qualem facta demonſtrant n. 115. Et præſumitur delicti præmeditati ex ingenti Armorum apparatu num. 117.
Inutilis fuiſſet conſtructio propugnaculi, & Vallorum extrà Ciuitatem Caſtri, ac ſtudioſus apparatus in Militibus, Annona, & Armis colligendis, ſi finis dumtaxat fuiſſet cuſtodiendi Caſtrum, & Montem Altum iuxtà aſſertam obligationem num. 116.
Fortalitia nullā neceſſitate intercedente præſumuntur facta animo nocendi num. 118.
Dux mandauit bellum geri cum copijs Pontificijs num. 120. & duobus ſequen.

ARTI-

ARTICVLVS PRIMVS.

INuehitur Author ſub initio huius Articuli aduersùs duo priora Breuia Sanctiſſimi, & pręcepta Auditoris Cameræ illis innixa, quibus Dux monitus fuit, vt tolleret, ac dirui faceret munitiones de nouo factas, Milites dimitteret, omniaque in priſtinum ſtatum reduceret, neuè alios milites in Ducatum Caſtrenſem induceret, opponendo defectum intentionis Sanctiſſimi; nam conatur oſtendere, Duci competijſſe Ius muniendi, & colligendi Milites ſine licentia Summi Pontificis.

Primò ex diſpoſitione Iuris cõmunis.

Secundò. Ex dicto Inſtrumento permutationis Caſtri cum Iuribus Fraſcati.

Tertiò. Ex dicta notula inſtrumenti conceſſionis Montis Alti.

Quartò. Ex Erectione, & confirmatione Ducatus Caſtrenſis, in quibus etiam aſſerit, Duci tanquàm ſupremo Domino conceſſam fuiſſe plenitudinẽ poteſtatis.

Vndè negat poſſe dici, quod mens Sũmi Pontificis fuerit, eidem tollendi Ius ità quæſitum, maximè propter regulam 18. de Iure quæſito non tollendo.

Poſtremò ſubdit, huiuſmodi munitiones, & præſidia non debuiſſe interpræta- ri in malam partem, ſed in bonam, nec facta fuiſſe ad impediendum curſum iuſtitiæ, nempè executionem mandatorũ, quæ relaxata fuerunt pro Montiſtis, cum agatur de re conſiſtente in Animo, qui ſoli Deo cordium ſcrutatori poteſt eſſe notus.

At rectè aſſertum fuit in primo Breui, & præcepto, quod Dux indebitè, ac de facto nullâ petitâ, ac obtentâ licentiâ muniuerit Ciuitatem Caſtrenſem, aliaſque nouitates fecerit in Sedis Apoſtolicæ præiudicium, ipſi feudatario nullatenùs permiſſas, neque huiuſmodi aſſertio poteſt redargui de intẽtionis defectu; nam quoad Ius commune indiſtinctè probat *Iacobus VVernberus de ganerbijs Caſtrorum diſcurſu 4. per totum*. inter Arcana ſupremæ Dominationis eſſe Caſtra, & propugnacula in ſua Ditione ædificare, & mu-
nire pro arbitrio, nec proindè vlli ſubdi- 1
to poſſe de Iure competere, cum domi-
nandi libido, quæ ſingulis ineſt à Natu- 2
ra maximum inde incrementum accipere valeat: Nec publicæ ſalutis interſit, quod inexpugnabiles reddantur hi, qui
vnius Imperio ſubeſſe debent; Nec po- 3
teſt inficiari, quia loca munita ſuàptè
naturâ præbeant ſeditionis materiam, 4
quia eorum poſſeſſores faciliùs animantur ad motus excitandos, & Arma cum maiori cõfidentiâ ſuſcipienda, & ad hoc inquit reſpexiſſe Iuris Cõſultum in *l. opus nouum 3. ff. de oper. public.* dum regulam, quod priuato liceat etiam ſine Principis authoritate facere opus nouum, limitat,
niſi ad æmulationem alterius Ciuitatis 5
pertineat, vel materiam ſeditionis præbeat, quia nullum opus latiorem Campum ſeditioni aperit, quàm noua Conſtructio, ſeù munitio Arcis, Caſtri, & Fortalitij, cum illis inhærens tutiùs reſiſtere
poſſit ſupremo Domino volenti gladio 6
vindice motos componere fluctus, ſeù Iuſtitiam exequi: Et legislatores prohibendo vſum Armorum, *vt patet ex l. 1. 2. & 3. §. 1. ff. ad legem Iuliam, de vi public. Nouellis Iuſtiniani 17. cap. final. & 85. per tot. ac tit. C. vt Armorum vſus inſcio Princip. interdict. ſit lib. 11.* ex eodem fine inquit interdixiſſe munitiones Arcium, & Caſtrorum, quia magnam inter ſe cõ-
nexionem habent: Nec ſubdit obſtare 7
fundamẽtum petitum ex naturali libertate, quia non procedit, vbi publica ſalus, cui ſuprema lex ineſt, ſuadet eam

prohiberi: Nec poſſe in contrarium ponderari reſcriptum Honorij, & Theodoſij *in l.per Prouincias* 10. *C. de ædific. priuatis*.

8 Permittētium cuilibet fundos proprios, ſeù loca ſui Dominij conſtituta murali ambitu vallare, hoc eſt muris circumdare; nam loquitur de nudo murorum ambitu ſubditis permittendo, quia prodeſt ad arcendum latrones, non autem ad reſiſtendum vehementiæ hoſtili, cuius prouiſio, & cura ſpectare debet ad ſolum Dominum ſupremum excubantem pro ſalute totius Imperij.

9 Quod in limitaneis incōcuſsè procedit, quale profectò his tēporib. eſt Caſtrū reſpectu Ditionis immediatę Eccleſię Romanæ; In illis enim omnes fatentur, non poſſe vltrà ſtatū antiquum, nouas munitiones fieri, inconſulto Principe ſupremo *l.quicūque, vbi gloſ. verb. Antiquitas, Bart. in princ. Io. de Platea antè numerum primum verſ. Tamen Caſtella, & alii C. de fund. Limitroph. lib. 11. Io. Faber in dicta l per prouincias in princip. C. de ædific priuat. Boer. deciſ. 320. num. 16. Petra de Iure quæſit. non tollend. per Princip. quæſt 8. concluſ. 5. ſub num. 12. & 13. Andreas Knich. in Encyclopedia cap. 16. num. 126.*

10 Prætereà verum, ac vſu magis receptū eſt, feudatarium non poſſe ſine Domini voluntate munire, & incaſtellare loca, quæ ab eo tenet in feudum, vt inquiunt *Io. Faber in d.l. per Prouincias num. 3. C. de ædific. priuat.* ibi, *Non credo, quod loca, quæ tenentur in feudum, poſſint incaſtellari ſine voluntate Domini. Boer. d. deciſ 320. nu. 6. vbi loquens de ſubdito vaſſallo, dicit non poſſe in præiudicium Domini ſuperioris ſine eius voluntate ædificare fortalitium. Petra d. quæſt. 8. ſub num. 10. concluſ. 2. in fine, vbi dicit contrarium non ſeruari, nec eſſe verum.*

11 Idq; Supremo Dño inuito, & iubente nouas munitiones deſtrui, indubitatū eſt; Nam æmulatio tunc dicitur reſidere in promptu, *Andr. Knich. in Encyclop. d. c. 16. num. 130. verſ. Attamen*, vbi regulam exaduerſo poſitam, quod cuilibet de Iure communi ſit permiſſum in ſuo, Caſtrū, ſeù fortalitium ædificare, præterquam in limitibus Imperij, limitat non procedere inuito Superiore: Tunc enim expreſsè negat id licitum eſſe, quia æmulatio reſidet in promptu, quod pariter ex *Afflict. tradit Petra d. quæſt. 8. num. 11. verſ. ſunt tamen*, ob quam omnes negant in 12
ſuo licere nouum opus facere, quod tendat ad muniēdum ſine Principis authoritate *l. opus nouum, 3. ff. de oper. public. vbi Bartol. ante num. primum, & ſub nu. 1. verſ. Et hoc eſt, ac in dicta l. quicumque num. 1. verſ. Niſi tale Caſtellum C. de fundis Limitroph. lib. 11. vbi idem notant omnes, & in dicta l. per Prouincias C. de ædific. priuat. Præpoſit. in cap. Ius gentium num. 12. verſ. Quod eſt verum diſtinct. prima. Boer. d. deciſ. 320. num. 8. Petra d. q. 8. in tertia concluſ. nu. 10. in fine, & 11. vbi de crebriori*; Hoc enim prorsùs inexcuſabilem reddit Ducem, qui monitus à Summo Pontifice, vt demoliretur, ac omnes nouitates in priſtinum ſtatum reduceret, audita voluntate ſui Principis non parendo confeſtim, Imò contumaciter perſiſtendo in munitionibus augendis, rē ad expreſſam æmulationem redegit; Nam ſi pro deſtructione ædificij ſufficit ex *Bald. in addit. ad l. Item lapilli num. 1. verſ. Item de ædificio ff. de rer. diuiſ.* quod indè ſequi poſſit æmulatio, & *Boer. deciſ. 320. num 8. verſ. & intellige* declarat ſatis eſſe, quod ità ædificetur, vt ſit principium, & cauſa æmulationis; vtique eo ipſo, quod Dux certus de mente ſui Principis non deſtruxit omnia nouiter extructa, nec ſtatim eius monitis obſequens fuit, certiſſimam vetitæ æmulationis cauſam dedit. 13

14 Quin neque ceſſante æmulatione de Iure permittitur omnis ſpecies ædificij, & munitionis inconſulto Principe, ſed ea ſolum, quæ non accedit ad propugnacula,

Digitized by Google

cula, cum nulli fas ſit illa erigere ſine li-
centia Superioris, vt declarat *Aym. conſ.*
518. num. 19. aſſerendo, quod liceat ſub-
ditis Turres, & Turriculas ædificare,
dummodò ad propugnacula non acce-
dant, quæ ſine licentia ſuperioris non
eſt fas erigere, Et hoc prius ſenſiſſe vidẽ-
tur *Bartol. in dicta l. quicumque in fine C. de*
fund. Limitroph. lib. 11. ex eoque repetit Ioan-
nes de Platea in rubric. C. de metat. & epid.
15 *lib. 12.* negando Caſtella poſſe nullibi te-
neri ad caſtrametationem, nempè ſe
tuendi ab Exercitu: *Alberic. enim in l. ſe-*
cunda nu. 3. C. de offic. Præfect. Pretor. Aphicæ
quem in propoſito refert VVernher dicto di-
16 *ſcurſu 4. n. 137. verſ. veluti,* inquit Caſtrũ
ſiue Caſtellum dici locum caſtrame-
tatum, ſiue fortificatum, vt intra eum
quis ſe tueri poſſit ab Exercitu, ac etiam
Baldus in cap. primo verb. Ciuitates verſ.
alias autem de Pac. Conſtant. in vſibus feu-
dorum cuius meminit VVernher. d. diſcur-
ſu 4. num. 81. animaduertendo, quod Ci-
17 uitates comprehenſæ in pace Conſtantię
inita cum Federico Primo, non poſſent
intùs murare, nec extrà munitiones fa-
cere, niſi haberent iuſſum à Principe: Ex
quo luce meridiana clariùs patet, de Iure
communi nõ licuiſſe Duci noua propu-
gnacula erigere, & loca prædicta muni-
re ad caſtrametationem, hoc eſt ſe tuen-
dum ab Exercitu Pontificio, cum pręſer-
tim alia tria omninò ſuaderent ab illis
abſtinendum eſſe.

Primum, quod non cõueniebant for-
mæ antiquæ; Dux enim illam exceſſit
tàm in loco, quia non ſolùm intrà ſed
etiam extrà Ciuitatem muniuit: quàm
in qualitate, & quantitate munitionum
Auendan. enim de exequend. mandatis regiis
18 *par. 2. cap. 2. ſub num. 1.* inquit ædificia,
quæ in amplitudine, & fortitudine non
conueniunt formæ antiquæ, ſed nouam
inducunt, eſſe prohibita, priùs quàm
fiant: & vitanda, ac Iudicis officio de-
ſtruenda tanquàm ſcandaloſa, poſtquàm
facta ſunt; Nam ſcandalum ex illis præ-
ſumitur ipſo facto, & de Iure certùm eſt, 19
nihil noui, Principe inconſulto, & multò
minus renuente, fieri poſſe, ſi veriſimili-
ter adſit materia ſcandali, rebellionis,
vel ſeditionis contrà Dominum *Alberic.*
in d. l. per Prouincias in fine verſ. puto tamen
ibique Io. Faber verſ. niſi præberet C. de ædi-
fic. priuatis. Boer. d. deciſ. 320. num. 8. verſ.
vel etiam ſi materiam.

Secundum, quod periculoſum, vel ſal-
tim indecens erat propè Vrbem regiam,
in qua Summus Pontifex manet cum to-
ta Curia, permittere feudatario, vt ſine
illius iuſſu noua propugnacula erigeret
in Ciuitate limitanea, eamque, & alia lo-
ca ſuo arbitrio militibus obfirmaret; nã
Bart. in d. l. opus nouum num. 1. verſ. ſi ali-
quis ff. de operib. public. cuius meminit Præpo-
ſitus in d. cap Ius gentium num 14. verſ. & 20
dicitur diſtinct. 1. negat permittendum
eſſe, quod fiat munitio in aliquo loco,
quæ poſſit eſſe periculoſa, vel dedecori
alteri Ciuitati, vel ei, cui ſubiecta eſt,
adeout nequeat tolerari ſine pudore, &
verecundia; ex quo etiam *Iacobus Rebuff.*
in d. l. quicumque num. 3. ſub fine verſ. ſi ta-
men C. de fund. Limitroph. lib. 11. notat
quod ſi eſſet dubium An poſſet periculũ
Reipublicæ imminere, debet adiri ſupe-
rior.

Tertiũ, quod Dux vltrà murales am-
bitus, & obuallationes locorum, milites
quoque conſcripſit, & comparauit, ac
arma coegit, & mouit; Neutrum enim illi
potuit de Iure licere ſine authoritate
Summi Pontificis. Non primum, quia 21
lege Iulia Maieſtatis tenetur is, qui iniuſ-
ſu Principis delectum habuerit, & Exer-
citum comparauerit, vt Martianus ait in
l. 3. §. eadem lege ff. ad leg. Iul. Maieſt. Quarè
ſtatuit Zeno *in l. neminem 17. C. de re mi-*
litari lib. 12. neminem ſociari poſſe vlli
numero Equitum, vel peditum, vel in
quoli-

Digitized by Google

quolibet limine ſine Imperalis Numinis
23 ſacra probatoria, cuius meminit *gloſ. in d.l. 3. §. eadem verb. delectum*, inquiens neminem ſine iuſſu Principis poſſe militem eligere: Minus alterum quia lege Iulia de vi publica tenetur is, qui arma coegerit *l. 1. ff. ad leg. Iul. de vi public.* &
24 ſeruos, aut liberos homines in Armis habuerit *l. 3. ff. eodem*; Nullique prorsùs, inſcio & inconſulto ſupremo Principe
25 quorumlibet Armorum mouendorum copia tribuitur, vt ſancitur *in l. vnica* C. *vt Armorum vſus inſcio Principe interdict. ſit. lib.* 11. quod latius explicāt *Petrus Gregor. Tholoſan. de Republ. lib. 9. cap. 1. à n. 15. vſque ad 21. & Gaill. de pace publ. lib. 1. cap. 4. ſub num. 4. & infrà*; Expedit enim publicæ quieti, & ſaluti omnium ſubditorum vni Principi, vt penes illum tantùm ſit cura Militum, & Armorum, qui-
26 bus vtraque vexari poteſt; Ideoque Ius ſuperioritatis concernit, delectum agere, & conuocare ad Arma, iiſque interdicere. *Andreas Knich. de Saxon. non prouoc. Iure cap. 5. num. 574. & 575. ac de Iure Ter-*
27 *ritorii cap. 3. num. 365.* Arces munire, & in fortalitijs extructis milites apponere *Chriſtophor. Mingius in diſput. de Superiorit. Territorial. concluſ. 76. VVernher. dicto diſcurſu 4. num. 146. & 147.* Et hinc liquet malè aſſeri, quod Dux potuerit hæc agere ex diſpoſitione Iuris communis.

28 Idem quoque illi vetitũ erat per Conſtitutiones vigentes in ſtatu Eccleſiæ, In primis enim aderat Cōſtitutio Bertrandi Cardinalis Epiſcopi Sabinenſis, qui à Clemente IV. (tunc Auenione morante) in Italiam generalis reformator, & cuſtos Ditionis Eccleſiæ ablegatus fuit, vt dicitur in *opere Ciaconiano Tom. 1. ſub vita Benedicti* II. *Anno 1333. col. 882. litt.* A. repetita per Cardinalem Aegidium, quē Innocentius VI. ſpeciatim in patrimonio Beati Petri in Tuſcia, alijſque Prouincijs, ac omnibus, & ſingulis Ciuitatibus, & Terris Romanæ Eccleſiæ temporaliter mediatè, vel immediatè ſubiectis infra terminos ſuæ legationis conſtituit ſuum, & eiuſdem Romanæ Eccleſiæ Vicarium, in temporalibus reformatorem, ac Pacis, & Prouinciarum Conſeruatorem generalem, *vt legitur in Conſtit. 1. Clementis* VI. §. 2. Quod ſcilicet in terris Eccleſiæ Romanæ, earumque diſtrictibus, nulla Vniuerſitas, vel Cōmunitas, vel ſpecialis perſona cuiuſcũq. cōditionis, & ſtatus exiſtat; coſtruat, vel ędificari faciat Caſtra, ſeù fortalitia, vel munitiones, ſeù Terras, vel aliqua alia ædificia, quæ communi Iudicio pro defenſione, vel offenſione ſpeciem fortalitiorum, vel Caſtrorum habeant, ſub pœna aduersùs tranſgreſſores, excommunicationis in perſonis, & interdicti in terris ipſo facto incurrendâ, vltrà alias expreſſas *libro 2. Conſtitutionum Aegidianarum cap. 45.*

Quæ non ſolum procedit in nouâ cō-
ſtructione, ſed etiam in refectione, vt 29
inquiunt *Bald. in l. ſi vt proponis 7. num. 1. verſ. eſt argumentum C. de nuptiis, & Barbat. in addit. Albert. Brun. de Conſtit. verb. Caſtrum. Addens ad dictam Conſtitutionem Aegidianam lib. 2. cap. 45. litt.* A. Adeò vt dictum *Abbatis in c. conſuluit 7. num. 1. de Iudæis*, quod Caſtra antiqua ruinam minantia, vel corrupta, eâ non obſtante, refici poſſint, declaretur *ab Addente ad dictas Conſtitutiones ſub littera* A. *verſ. ſed illius ſupplendum eſſe*, quod huiuſmodi reſtauratio ſit tantùm permiſſa cum Supe-
rioris licentia: Indubitanter verò com- 30
prehendit nouas munitiones factas à Duce, quia non continuerunt ſe intrà limites ſimplicis reparationis, non immutatâ formâ antiquâ; ſed eam longè exceſſerunt, quo caſu etiam *Abbas in d. cap. conſuluit num.* 1. fatetur ædificium eſſe nouum, & cadere ſub dicta prohibitione. ibi, *Ità tamen vt noua reparatio non*

commu-

Digitized by Google

commutet antiquam formam , nec fiat ædificium pretioſius, vel amplius , nam vbicumque mutatur priſtina forma videtur nouum ædificium, & cadit ſub prohibitione noui ædificij:

31 Nec videntur refragari duæ limitationes in contrarium adductæ. Altera quod de Iure ſecundum *Baldum conſ.435. n.1. vol.5.* non impediunt feudatarium Eccleſiæ Romanæ, quominus ceſſante ratione æmulationis poſſit ædificare Arces in locis ſibi infeudatis; licet credat ſecurius eſſe impetrare licentiam, vt remoueatur omnis occaſio quæſtionis, atque *Abbas in cap. Piſanis 14. num.15 verſ. hæc dicta de reſt. ſpoliat.* putet dictum *Innocentij in dicto cap. Piſanis ſub num. 1. verſ. hoc tamen,* quod non liceat incaſtellare ædificia vetera non habitata, ſicut non licet noua Caſtra facere cum iniuria, & æmulatione alterius, putet inquam indiſtinctè procedere in poſſeſſore iniuſto , ſeù tyranno; In poſſeſſore autem iuſto diſtinguendum eſſe, quod, aut vult reficere antiqua ædificia , vel habitare de nouo Caſtra inhabitata, ad Iniuriam , & æmulationem alterius , & ſit locus dicto Innocentij, quia nō licet ad huiuſmodi finem vti etiam re propria, ſecus ſi vult ſine alterius Iniuria id facere ad conſeruatio nem, & augumentum Patrimonij , vel honoris ſui, quia prohibitus conſtruere de nouo non prohibetur reficere antiquum ædificium iuxtà priſtinā formam.

Altera quod ſolum vigeant in locis immediatè ſubiectis, ſub prætextu, quod de illis tantùm loquantur confirmationes Sixti IV. Conſtitut. 15. & Pauli III. Conſtit. 17. *& Rota deciſ. 27. num. 18. poſt 2. vol. conſ. Farin.* non ſolùm neget extenſas fuiſſe ad loca mediatè ſubiecta, ſed velit etiam *deciſ. 181. & 185. lib. 2. par. 3. diu.* pro illarum obſeruantia inſpiciendam eſſe qualitatem ſubiectionis de tempore , quo caſus decidendus obtigit.

Etenim prima inapplicabilis eſt, etiam iuxtà opinionem Baldi, cui tamen reſiſtunt verba illa (*cuiuſcumque conditionis, & ſtatus*) apta includere feudatarios quā- 32
tumuis maximos, cum ſuaptè natura illos quoque comprehendant, qui alias nō comprehenderentur *cap quamuis de offic. ordin. in 6. vbi hoc notant Archidiac. num 1. ver. conditionis. Io. Andr. ante num. 1. Gemin. ſub num. 4. & Franc. num. 7. cum aliis per Gonzalez ſuper reg. 8. gloſ. 38. num. 1* Et ſic etiam Reges, vt ex ſententia Rotæ fir- 33
mant *Gomeſ. in proemio regul. quæſt. 4. nu. 2. verſic. Nam dicta clauſ. & Gonzal. d. gloſ. 38. num. 2.* Nam Baldus quærit ſolum; An feudatarius poſſit ædificare Arces in locis ſibi infeudatis per Papam , & tria 34
ſupponit. Primum ſub verſiculo ſecūdo, quod in ædificandis Arcibus vtiliter geratur negocium Eccleſiæ . Medium in verſ. quinto, quod Iuriſdictio infeudata propter malitiam ſubditorum tutè , ac commodè exerceri nequeat ſine Arce, Extremum ſub fine numeri primi, quod ceſſet ratio æmulationis, Quę prorsùs deficiunt hoc caſu; Non enim Ducis munitiones conſiſtunt in ſola Arcis ſtructura intùs Ciuitatem Caſtrenſem, ſed tranſgreſſæ ſunt mænia ad erectionem noui propugnaculi, & vallorum, nec ſolo ambitu murali continentur, & coercentur ad tutum , & commodum Iuriſdictionis exercitium in ſubditos , ſed foris exurgunt ad caſtrametationem ſubditis grauem, finitimis periculoſam, & ſupremo Domino , cui Dux lege fidelitatis erat ſubiectus, ſeditioſæ rebellionis indicem; Vndè nequit aſſeri , quòd in eis fuerit vtiliter geſtum negocium Eccleſiæ Romanæ, habituſque finis tutè exercendi Iuriſdictionem in ſubditos, quodue ceſſet ratio æmulationis , dum illam omni ex parte præſeferunt.

Nec itidem poteſt eis adaptari diſtin- 35
ctio Abbatis, tum quia non ſtant intra

fines refectionis antiqui ædificij iuxtà priſtinam formam, de qua ſolùm ipſe loquitur; Tum quia non tendunt ad conſeruationem proprij honoris ſine alterius iniuria, ſed antiquam, ac priorem formam excedendo, cũ deſtinatione ad vſum caſtrametationis inſolitę, derogant ſuperioritati Sedis Apoſtolicæ, & Romani Pontificis, cui profectò eſſet indecens ſinere, quòd vaſſallus beneficiarius in limitaneis propè Vrbem, in qua reſidet, ità ſe muniat, ac fortificet.

36 Secunda verò exploditur ponderando Nos verſari in terminis comprehenſionis ſub dictis Conſtitutionibus Cardinalium Bertrandi, & Egidij, quia vterque omnimodam Iuriſdictionem habuit pro Eccleſia Romana in Prouincia Patrimonij Beati Petri in Tuſcia, vbi ſita ſunt Ciuitas Caſtri, Oppidum Montis Alti, & Pons Abbatiæ tunc immediatè ſubiecta Sedi Apoſtolicæ; Ille quidem à Clemente Sexto, Hic ab Innocentio Sexto; Neque eorum Iuriſdictio limitata fuit ad loca immediatè ſubiecta, ſed ampliſſimè conceſſa in omnibus, & ſingulis Ciuitatibus, & Terris eiuſdem Romanæ Eccleſiæ temporaliter mediatè, vel immediatè ſubiectis, vt literaliter exprimitur in §. ſecundo dictæ Conſtitutionis primæ Innocentij Sexti, ibi, *Te in Patrimonium Beati Petri in Tuſcia, Ducatu Spoletano, Marchia Ancona, Romandiola, Campanea, Maritima, Prouincijs, ac omnibus, & ſingulis Ciuitatibus, & Terris eiuſdem Romanæ Eccleſiæ temporaliter mediatè, vel immediatè ſubiectis infrà terminos legationis tuæ, vt prę mittitur noſtrum, & eiuſdem Romanæ Eccleſiæ Vicarium in temporalibus reformatorem, ac pacis, &* Prouinciarum *Conſeruatorem conſtituimus generalem*, quicquid perperam Impreſſoris vitio dicatur in Titulo, quod etiam agnouit Leo Decimus in Concilio Lateranenſi *ſeſſ. 9. in reformat. Curiæ, & aliorum verſ. ad bonum,* dum generaliter, & indiſtinctè ad bonũ, & quietum regimen Ciuitatum, & locorum omnium Romanæ Eccleſiæ, præcepit inuiolabiliter ſeruari Conſtitutiones dicti Cardinalis Aegidij, non autem verſari in terminis extenſionis elicitæ ex dictis Cõſtitutionibus Sixti IV. & Pauli III. quorum primus *dicta Cõſtit.* 15. §. 2. & 12. non ſolum iuſſit Conſtitutiones Prouinciales in vnum volumen in ſex libros diſtinctum collectas, & redactas à Cardinale Aegidio firmiter obſeruari in Prouincijs; ſed etiam illas extendit ad Vrbem, & alia loca ſpecialis commiſſionis; Alter verò *d. Conſtit.* 17. §. 4. confirmauit, & ſimilem obſeruantiam indixit in Vrbe, Prouincijs, & locis ſpecialis commiſſionis, quam extenſionem Rota cenſuit 37 reſtrictam eſse ad immediatè ſubiecta habita ratione temporis, quo caſus decidendus emergit; Vnde liquet ineuitabilem eſse comprehẽſionem Ducatus Caſtrenſis ſub antedicta prohibitione Cardinalium Bertrandi, & Aegidij, quia eſt in Prouincia Patrimonij, cui vterq; prę fuit illimitatè, tàm ſcilicet quoad loca immediatè, quàm mediatè ſubiecta; Nec proindè refert, quod dicta confirmatio Pauli Tertij emanauerit poſt erectionem Ducatus præfati, & ſic tẽpore ſubiectionis mediatę, quia (vt dixi) non agitur de confirmatione extenſi ad ſola immediata, ſed comprehenſi ab initio ex vi iuriſdictionis æqualiter complectentis etiam mediata.

Vigebat etiam Cõſtitutio prima Alexandri Sexti, qui vt Ciuitates, Terræ, & 38 loca Romanæ Eccleſiæ mediatè, vel immediatè ſubiecta turbationibus, & ſcandalis quibuſcũque ſemotis in pacis amęnitate, & quietis tranquillitate valeant conſeruari, ac nemo ſibi Ius dicere, & Iuſtitiæ limites tranſgredi inordinata voluntate præſumat, ſed quod ſibi credit competere coram Iudice, Iuſtitiam redreden-

dente proſequatur; Ducibus in ſpecie prohibuit ſub pœna excommunicationis maioris, priuationis omnium priuilegiorum, dignitatum, officiorum, Dominiorum, ac feudorum, & declaratione pro Rebellibus cum abſolutione omnium ſubditorum à Iuramento fidelitatis, nè exercitum, ſeù alias coadunationes quauis occaſione, vel cauſa facere, vel mouere præſumat, ſed quilibet ius ſuum pro-
39 ſequatur coram Iudice competente, quoniam dicta Conſtitutio adamuſſim conuenit Duci, qui ſtatim, ac primum Nuncium habuit de inſtantia nomine Montiſtarum paratâ pro mandatis executiuis ſuper dote Montium, animum conuertit ad militarem defenſionem, muniendo Caſtrum, colligendo Arma, Annonam, ac Milites, eiſque etiam præter ſolitum morem obfirmando Montem Altum, ac Pontem Abbatiæ, qui exceſſus in malam partem ſumi debet iuxtà regulam, quam latè firmat *Auendanus de exequen. mandat. reg. part. 1. cap. 14. num. 3. verſ. cum ergo*
40 *exceſſiuum*, quia excedens modum in vtẽdo rebus ſuis non agit honeſtè, & ſcandalum inducit *Auendan. d. cap. 14. num. 1.*
41 *poſt med. verſ. ex iſta ratione*, ac ſemper exceſſiua tendunt in noxam Reipublicæ *Auendan. d. cap. 14. num. 3. in princip.*

Nec dici poteſt, quòd ſolum procedat in coadunantibus armatos ad inuadendum poſſeſſa ab alijs, quæ ipſi prætendũt ſibi competere; non autem ad tuendum,
42 & retinendum ea, quæ poſſident; Nam dicta ratio conſeruandi loca mediatè, & immediatè ſubiecta in pace, quiete, & concordiâ expreſſa in proemio, & repetita in §. primo æquè militat in coadunantibus ad vtrumque effectum, cum extraordinaria Militum, & Armorum collectio per ſe publicam pacem, & quietem perturbet, nec ſinat loca, in quibus retinentur, & alia finitima earum amænitate frui, ac ſupremum Principem, cui Iure dictæ ſuperioritatis eſt omnium ſubditorum ſalus, & cuſtodia ſpeciatim commiſſa, vacare iuſto timore, nè lædi, aut perturbari poſſint; Quoniam nulla ratione magis id fieri valet *Petr. Gregor. Tholoſan. de Republic. d. lib. 9. cap. 1. num. 19. & Andreas Knich. in Encyclop. d. cap. 16. nu. 18. verſ. Nuncium* dicentes Armorum Ius, & curam ſpectare ad ſupremum Principem gratia conſeruandi publicam ſalutem, quia nulla alia magis ratione ſubuerti, aut ſaltèm lædi, & turbari poteſt, quàm libero Armorum permiſſu: Vbi 43
enim ſubeſt eadem ratio, idem Ius ſtatuendum eſt *l. illud, ff. ad leg. aquil. Dec. conſ. 301. num. 6.* cum Teſte *Bald. in cap.* 44
quia circà finem de Iudicijs dictio Iuris non ſeparet ea, quæ nexus rationis connexuit, etiamſi caſus ſint diuerſi, quia eadem ratio ſub ſe diuerſas earum ſpecies comprehendit *ex notatis à Petro, & Cyno in l. iura C. de legibus. Surd. conſ. 553. num. 28. in fin. & 29 vol. 4.* Nec propterea dicitur ob illius identitatem fieri extenſio de caſu ad caſum, ſed pariformis omnium com- 45
prehenſio *ex latè congeſtis per Tiraquell. in l. ſi vnquam verbo libertis num. 45. C. de reuoc. donat. & de retract. lignager. §. 1. in princ. num. 2. Surd. d. conſ. 553. num. 43. in fine & 44.* Inſuper in §. ſecundo Duc- 46
bus prohibetur huiuſmodi coadunationes facere, vel mouere, & hoſtiliter loca inuadere, vel etiam retinere; Nimirum ſi hanc legem offendũt, etiam hi, qui eas faciant ad effectum retinendi, non inuadendi, ſiue illa dictio, vel, accipiatur pro 47
diſiunctiua, cuius natura eſt tam ſenſum, quàm verba diſiungere *l. 1. §. ſublata, ff. ad trebell. l. generali, C. de Sacroſanct. Eccl. l. cũ quidam, C. de verb. ſignif. Bart. in l. ſi quis ità, ff. de aur. & arg. leg. Surd. conſ. 339. num. 6. in fin. & 7. vol. 3.* ſiue pro alternatiua, quia alternat diuerſa *ſecundũ gloſ. et Doct. in l. vbi pactum, C. de tranſact. gloſ. in rubr. C. ſi ager. vectigal. vel emphit. pet.*

Surd.

Digitized by Google

Surd. d. conſ. 339. num. 8. ſufficitque alteram eius partem verificari. *l. is qui ducenta. §. vtrum vbi Bart. et alij, ff. de reb. dub. Rip. in c. inter cæteras num.* 24. *de reſcript. Surd. d. conſ.* 339. *num.* 10.

Imò nec deficit alia conſideratio dictæ conſtitutionis, quod nemo ſibi Ius dicere, ac Iuſtitiæ limites tráſgredi inordinata voluntate præſumat, ſed quod ſibi credit alteri aduerſus alterum fortè competere coram Iudice iuſtitiam red-
48 dente proſequatur; nam Dux veritus non poſſe coram Iudice competente, via Iuris ſe tueri aduerſus Montiſtas, & Commiſſarium Cameræ volentem agere eorum nomine pro extinctione Montium ex capite non implementi, militibus, & armis collectis voluit ſibi ius dicere ſuper retétione Caſtri, & aliorum locorum, quæ muniuit aduersùs legitimam executioné in eis faciendam iudiciali authoritate;
49 generalis enim prohibitio, quod nemo ſibi ius dicat, procedit etiam quoad poſſeſſionem retinendá *l.* 1. *iuncta gloſ. verb. debere in princip. C. nè quis in ſua cauſa iudicet vel ſibi Ius dicat.*

50 Pariter exiſtebat conſtitutio 75. Sixti Quinti, qui, vt Armorum tumultus, & & ſeditionum turba, ac ſtrepitus in temporali Dominio Eccleſiæ Romanæ omninò conquieſcant, & Sedes Apoſtolica, cui Summi Reges, & Principes debitam obedientiam, ac reuerentiam pręſtant, eamdem magis exigat ab ijs, qui ipſius Regimini in temporalibus ſubiecti ſunt, nec alium Principem, præter Romanum Pontificem agnoſcunt, ſtatuit, nè quiſquam etiam Dux ſub prætextu manutenendæ poſſeſſionis, tuendique Ius ſuum, vel quouis alio colore Militum copias cogere, comparare, vel ducere, neuè Populos, vel ſingillatim ſingulares perſonas, publicè, aut priuatim, palàm, vel occultè ad arma conuocare, conclamare, concitare, neque armatorum manus, cœtus, conuentus, ſeù illicitas, & tumultuoſas collectas facere, aut aliquid huiuſmodi per ſe, vel alium moliri, aut machinari audeat, vel pręſumat ſub vero reatu lęſæ Maieſtatis, incurſu rebellionis, priuatione omnium priuilegiorum, Ducatuum, aliorumque locorum, iuriſdictionum, dignitatum, & officiorum, cum abſolutione omnium Populorum, & Subditorum à Iuramento fidelitatis, & applicatione Ducatuum, ac reliquorum Dominiorum, bonorum, ac Iurium, Fiſco, & Cameræ Apoſtolicæ ipſo facto ſine aliqua declaratione, etiam in præiudicium filiorum, & aliorum deſcendentium cóprehenſorum in Inueſtituris, & alijs conceſſionibus, perindè ac ſi per lapſum téporis, ac lineam finitam eſſent ad illam deuoluta; Dux enim longè maiora moli- 51
tus fuit; Imò nec poſt iudicialem monitionem dictam obedientiam ac reuerentiá Sũmo Pontifici exhibuit (vt par erat) dimittendo Milites iàm contra dictam legem collectos, & demoliendo nouas munitiones propria authoritate perperam factas.

Vanumque prorsùs eſt dictam Conſtitutionem non comprehendere Duca- 52
tum Caſtri defectu voluntatis, & poteſtatis, illa enim clara lectione probatur, quia in §. ſecundo expreſsè meminit de vniuerſis, & ſingulis Ducibus quacumq; dignitate fulgentibus, & in §. tertio ſupponit eos præeſſe Populis, & Ciuitatibus, ac habere Dominia, quæ maioribus tantùm conuenire ſolent, Imò quatenus in §. ſecundo excipit caſum tuendi periculoſis temporibus aduerſus Turcas, & Piratas loca maritima ſita in littore Maris Tirrheni, videtur expreſsiſſe Ducem Caſtri, qui ibidem poſsidebat Montem Altum, eiuſque oram maritimam latè diffuſam, ac propterea illorum incurſionibus patentem; habetur enim pro expreſ- 53
ſo, quod ſub generali vocabulo continetur

tur

54 tur *Anchar. conſ.* 393. *num.* 2. ac ex verbis legis colligitur *Ruſtic. in l. cum Avus de condit. & demonſtrat lib.* 3. *cap.* 1. *num.* 29. *qui alios refert*; vltrà quod Paulus Tertius Ducem Caſtri non diſſimilem fecit ab alijs Domicellis exiſtentibus in diſtrictu Vrbis, vt inferius patebit.

55 De poteſtate verò ſacrilegum eſt dubitare *l. ſacrilegij inſtar C. de diuerſ. reſcript. l.* 2. *C. de crimin. Sacrileg. Ceual commun. contra commun. quaeſt.* 906. *in princip. Andreas Knich. de veſtiturarum pactionibus par.* 3. *cap.* 2. *num.* 82. *in fine, & ſequen.* nam
56 qui diſputat de poteſtate Principis facit ſe illi ſuperiorem, & ponit ſedem ſuam in Aquilone, tentando eſſe ſimilem Altiſſimo *Bald. conſ.* 359. *num.* 1. *verſ. praetereà executo vol.* 1. *Aym. conſ.* 241 *num* 3. nec proindè poteſt aſſeri, quod conſtitutio emanata poſt erectionem Ducatus non valuerit prçiudicare Iuribus Ducis ob inuiolabilem naturam feudi ex parte Domini, dùm Vaſſallus permanet in debita
57 fidelitate; nam praetermiſſo, quod per viam legis vniuerſalis poteſt eis derogare ſecundum *Bald. in l. final. verſ. non audeo ff. de Senator.* dicentem, quod facta conceſſione, & translato Dominio rei conceſſae, poteſt à Principe opponi conditio, non ex vi contractus, ſed ex vi legis, quoniam omnis legis poteſtas eſt in pectore ſuo, quod repetit *Albertus Brunus conſ.* 1. *num.* 41. *poſt med. verſ. & quod voluit cum ſequen. lib.* 1. cui accedunt *Martinus Laudenſis de Principe quaeſt.* 72. *verſ ſed an legis tractat. tom.* 16. *fol.* 205. *à tergo* aſſerens Ciuitatem ſeparatam à Regno ligari nouis decretis, & legibus ratione Imperij, quod Rex penes ſe retinuit, dum illam ſeparauit, & infeudauit *Boſſ. tit. de for. competen. num.* 49. *Foller. ſuper pragmat. cenſuali verbo & ſubmiſſiones num.* 19. *Anton. Sola ad Conſtitutiones antiquas Sabaudiae ſub decreto ſubditos noſtros gloſ.* 1. *num.* 11. *verſ. vltrà quod. Capoblanc. de authorit. Baronum tom.* 2. *cap.* 12. *num.* 10. *verſ. Item ſimiliter*, quorum opinionem in practica ſeruari teſtatur *Maſtrill. de Magiſtratibus lib.* 6. *cap.* 16. *num.* 248. Nec dicitur praeiudicare Iuri quaeſito per conceſſionem 58
Vaſſallo, quia dum Princeps aliquem inueſtit, cenſetur id facere ſub tacita conditione, quod minimè priuetur ſua ſuperioritate, & alto Dominio, in eo conſiſtẽte, quod poſſit in aliquibus caſibus ſibi beneuiſis limitare, & moderari Iuriſdictionem translatam in Vaſſallum ad tradita per *Cancer. var. reſolut. lib.* 3. *cap.* 3. *num.* 317. & 318. *Capoblanc. de authoritate Baronum tom.* 2. *d. cap.* 12. *num.* 9. *verſ. quia reſpondetur, & cap.* 37. *num.* 21. *verſ. ſemper enim, qui alios referunt.* Adeòut *Afflict. in Conſtit. regni lib.* 3. *rubr.* 22. *conſtit. incipien. poſt mortem num.* 4. *verſ. & quis dubitat ſi Papa* dixerit, neminẽ poſſe du- 59
bitare, quin Papa ratione directi Dominij, quod habet in aliqua ditione, poſſit in his, quae ſunt Iuris poſitiui condere leges, & conſtitutiones ibi ſeruandas, quia habet liberam poteſtatem diſponendi per viam legis.

His inquam praetermiſſis reſpondetur 60
Principem Iure dictae ſuperioritatis, & Alti Dominij abſque dubio poſſe iubere cuilibet Vaſſallo, ac in eius Territorio diſponere ea, quae pertinent ad commune bonum, & vtilitatem totius ſui ſtatus, qualis profectò eſt materia dictae Conſtitutionis, nam haec omnia ſemper cenſentur reſeruata in quacumque conceſſione, vt fatetur *Petra de Iure quaeſito non tollendo per Principem cap.* 9. *nu.* 4. *in fin. verſ. quia cum ſequenti.* Et meritò quia non eſt diſueſtire vaſſallum ſine culpa, ſed ditionem illi conceſſam ponere ſub lege Iuſtitiae, & aequitatis, vt rectè in propoſito reſpondet *Bald. conſ.* 333. *num* 1. *circa finem verſ. reſpondeo volumine primo*, quem prae caeteris ſequuntur *Brun. dicto conſ.* 1. 61
num. 43. *verſ pro qua concluſione lib.* 1. &

Cephal. conſ. 12. num. 29. vol. 1. animad-
uertendo, quod hoc poſſe ineſt à natura
cuiuſcumque feudi, & conceſſionis, cum
ſuprema poteſtas ad hoc ſemper intelli-
gatur excepta, nec valeat ab ipſo conce-
dente diuelli, alias enim Princeps dice-
retur homicida dignitatis ſuæ ſecundum
62 *Baldum in cap. licet cauſam ſub nu. 7. verſ.
Item non poteſt de probationibus, & Andr.
Knich. de Saxon. non prouocan. Iur. cap. 15.
num. 13. in verſ. vtrumque.*

Nec Seraphinus *in voto impreſſo deci-*
63 *ſione 61. poſt 2. volum. conſil. Farinac.* di-
cit huiuſmodi conſtitutionem, non com-
prehẽdere eos, in quos alienata ſunt feu-
da maiora, ſed Scoliaſter ſub littera E. &
perperàm, cùm in eis quoque militet di-
cta ratio ſuperioritatis inabdicabilis à ſu-
premo Principe, qui propter bonum pu-
blicum vniuerſi ſui ſtatus ferre poteſt le-
gem vniuerſalem cõprehenſiuam æqua-
liter omnium, & ſic etiam obtinentium
64 feuda maiora, vt de Duce Ferrariæ notat
Petra d. tractatu cap. 3. quaeſt. 4. num. 66. in-
quiens, teneri versùs Eccleſiam Roma-
nam ad omnia, ad quæ alij Vaſſalli tenẽ-
tur ergà Dominum, quia Papa cenſetur
in Inueſtitura ei conceſſâ ſibi reſeruaſſe
ea, quæ concernunt dictam ſuperiorita-
tem. Prætereà Dux Caſtri æquiparatus
65 alijs Domicellis diſtrictus Vrbis (vt in-
frà) non videtur comparandus vti Dux
Caſtri Ducibus Ferrariæ, Parmæ, & Vrbi-
ni expreſſis in dicta Apoſtilla, Nec *Moli-
na de Iuſtitia, & Iure par. 1. diſput. 10. col.
penult. verſ. illud.* Quoad magnates Italiæ
66 poſt Victorinum, & Caſtrum, vllum di-
ſcrimen facit ſuper iure mouendi Arma
inter feudatarios maioris, & minoris po-
tentiæ, ſed ſolum *in verſ. ſed illud* ait hoc
quoad magnates Italiæ, & Germaniæ nõ
pendere ex nomine Ducum; ſed ex modo
regiminis; nam ſi legitimo titulo nulli
alteri parent, dicit habere Ius indicendi
bellum, idemque ſi alteri pareant; ſed
legitimâ conſuetudine; vel ſpeciali pri-
uilegio dictum Ius nacti ſint, quibus pro-
culdubio caret Dux Caſtri, aliorum con-
ditionem non excedens.

Nec pariter obſtat, quod dicta Con-
ſtitutio non prohibeat armatos conuo-
care pro manutenenda poſſeſsione, à qua
nunquàm fuerit aliquis deiectus; ſed ſo-
lum quando illa fuiſſet per vim adepta,
vel recuperata iuxtà declarationem *Fa-
rinacij in additionibus poſtremò æditis ad
quaeſt. 113. num.* 148. 151. 160. & 174.
vbi exaduerſo dicitur melius explicare
quæ ſcripſerat *conſ. 65. vol. 1.* nam ſtandũ 67
eſt illius declarationi factæ per Paulũ V.
in Conſtitutione incipien. *Alias &c.* im-
preſſâ per Laertium Cherubinum in Cõ-
pendio Bullarij pagina 133. col. penult.
ſub §. 3. Quod ſcilicet indiſtinctè locum
habeat, in retinendæ poſſeſſionis, & qui-
buſcunque alijs caſibus, excepta tãtum-
modò cauſa vera, & non ficta, ac neceſſa-
ria ad vim vi repellendam cum modera-
mine inculpatæ tutelæ defenſionis, &
meritò quia erat generaliter intelligen- 68
da in omnibus caſibus, in quibus fieret
conuocatio Armatorum, vt rectè ponde-
rauit *Io. Baptiſta Spada ſenior, Fiſci, & Ca-
meræ Apoſtolicæ Aduocatus conſil 229. nu. 1.
inter conſil. Farinacij vol. 3.* animaduer-
tendo *ſub num. 3. verſ. & ponderando* non
conſideraſſe in prohemio, qualis ſit cauſa
qua quis mouetur ad conuocandos ho-
mines armatos; ſed ſolum ponderaſſe
malos euentus, & ſcandala, quæ exindè
procedere ſolent in publicæ quietis per-
turbationem: Item generaliſſimè loqui 69
ſub num. 4. verſ. 2. moueor cum ſequen. per
verba, quæ nullâ ratione valent reſtrin-
gi; Vltrà quod tantùm abeſt Ducem poſ- 70
ſe pœnam dictæ Conſtitutionis effugere
ſub colore, quod arma, & milites coadu-
nauerit pro defenſione poſſeſſionis, à
qua nunquàm fuerat deiectus, quin ma-
ximè crimen ſuum auget tacitè fatendo,

id

id egiſse, vt illicitam defenſionem pararet aduersùs apparitores Iuſtitiæ acceſſuros pro executione mandatorum, quæ de Iure petebantur nomine Montiſtarum; Vndè liquet inapplicabilem eſse exceptionem dictæ declarationis Pauli V. loquentem de vera, & non ficta, ac neceſſaria defenſione ad vim repellendam, quia Iudex exequendo iudicatum non dicitur inferre vim, ſed Iuſtitiæ legem perfectè implere.

71 Nec demum ex ſitu Montis Alti propè lictus maris, Duci ſuffragatur exceptio dictæ Conſtitutionis in §. 3. quod liceat armatos vocare ad tuenda, & propugnãda loca maritima temporibus periculoſis aduersùs Turcas, & pyratas, quia non poteſt ad illam referri munitio Caſtri diſtantis à mare ſuprà decem mille paſſus, & inſueta militum armorum, & Annonæ collectio ibi facta tempore, quo nulla Turcarum, vel Pyratarum inuaſio timebatur, ſed ſola Montiſtarũ executio imminebat; Ideòque ſemper viget cauſa delicti, inexcuſabilis vllo colore.

72 Quo verò ad Inſtrumentum Caſtri cũ Iuribus Fraſcati, animaduertendum eſt quod licet in eius proemio dicatur caruiſse arce, muris, propugnaculis, & cuſtodibus neceſsarijs ad euitandam occupationem; non tamen indè ſequitur Petro Aloyſio, & ſuis, in eo conceſsam fuiſse liberam facultatem quandocumque, & quomodocumque ad libitum muniendi intùs, & extrà ipsã Ciuitatem, & quot quot Milites ibi mallent colligendi, non ſolùm inconſulto Summo Pontifice, ſed

73 contrà eius voluntatem. Omiſso enim quod proemium non facit Ius in his de quibus diſpoſitio non loquitur determinatiuè ſecundum *Bald. conſ. 449. num. 4. vol. 3.*

74 Reſpondetur primò, facultatem quantumuis liberã reſtringi ad terminos Iuris reſpectu modi *l. ſi quando 35. vbi notatur C. de inoffic. teſtam.* & ſolum intelligi de his, quæ fiunt ordinariè, non autem de his, quæ fiunt extraordinariè *l. Seio 10. §. medico vbi Bartol. in princ. & num. 3. ff. de annuis legatis cum alijs plena manu relatis à Pelaez de maioratu in ſecunda parte initij num. 225. & ſequen. ac num. 235. verſ. ex quibus, ac infra*. Nec propterea poſse aſsertam facultatem gratis ſuppoſitam ab Authore, trahi ad dictam munitionem extraordinariam cũ exceſsu, ratione modi, ac numeri Militum. 75

Secundò, eam, quam Dux elicere poſſet ex dicto proemio, verificabilem eſse tantùm in prima conſtructione, quæ iam pridem expleta fuerat, nec propterea poterat amplius exerceri *iuxtà regulam l. Boues 89. §. hoc ſermone ff. de verb. ſignific.* 76

Tertiò, verba dicti proæmij loqui de ſola defenſione Ciuitatis ab inuaſione inimicorum Sedis Apoſtolicæ, cum dicat in perſona Petri Aloyſij primò inueſtiti. *Qui valeat eam cuſtodire, ſeruare promptèq; defendere ab omni occupatione*, Et ſic minimè adaptari dictæ munitioni inſolitæ, quæ retenta fuit contra expreſſam mentem Summi Pontificis, cum limitata cauſa limitatum producat effectum *l. in Agris ff. de acquiren. rer. domin. cum concordantibus*; Et Principis authoritas, ac voluntas ſemper intelligatur excepta *c. dudum, §. Nos igitur de preben. in 6.* 77 78 79

Neque in notula Inſtrumẽti cõceſsionis Mõtis Alti quicquã continetur, quod Ducis cauſam iuuare poſsit, nã obligatio reficiendi Arcem adimpleta fuit antiquâ illius refectione: Altera ibidem retinẽdi præſidium viginti equitum pro tuitione, & defenſione Affidatorum Dohanæ tempore, quo inibi permanerent, & poſt eorum receſſum in reliqua parte Anni, octo equitum pro tuitione Colonorum dicti loci, & frumentorum, ac bladorum collectione tempore meſsis, contrarium probat, dum certum numerum, tempus, 80 81

ac

ac finem deſignat, quiâ eorum exceſſus
82 crimen arguit: Vltra quod huiuſmodi obligatio cum alijs remiſſa fuiſſet in erectione Ducatus Caſtrenſis (ſi poſſet dici, quod includeret etiam Oppidum Mōtis Alti) quarè, nec propterea Duces eam poſtea numquàm ſeruarunt; Ex tertia autem tuendi, & defendendi dictum Op-
83 pidum cum eius Territorio ab inſultibus, violentijs, & deprædationibus Pyratarũ, & Infidelium, non poteſt deſumi aſſerta facultas muniendi ad alium finem, ac milites ibi retinendi contrà præceptum
84 Principis, cũ nulla obligatio poſsit egredi ſuos fines verbales *Bald. in cap. venerabilem num. 15. verſ. ſciendum de electione Mantic. de tacit. lib. 3. tit. 11. num. 14. & tit. 15. num. 6.*

85 Minùs aſſerta facultas erui poteſt ex dicta erectione, & confirmatione Ducatus Caſtri, ſiue cõſideretur communicatio facultatum, poteſtatum, & aliarum prærogatiuarum, quibus alij Duces quãtumcumque magni, & maximi, tàm Pontificij, quàm Imperiales de Iure, conſuetudine, priuilegio, vel alias quomodolibet, & qualitercumque vtebantur, potiebantur, & gaudebant, ac vti, potiri, & gaudere poſſent quomodolibet in futurum: Siue conceſsio dicti Ducatus cum pleno in temporalibus Dominio, ſupremâque, & omnimodá etiã meri, & mixti Imperij, ac quacumque gladij poteſtate, & vniuerſali Iuriſdictione, & illorũ exercitio, ex quo infert Author, Ducem potuiſſe ſuum ſtatum munire, non ſolum quia eſt infeudatatus de mero, & mixto Imperio; ſed potiſsimè quia ex translatione dictæ plenitudinis Dominij, & iuriſdictionis eum figurat eſſe Principem ſupremũ, ac vti talem poſſe ibi Iure prætenſæ ſuperioritatis dictas munitiones facere, eaſque militibus adornare.

86 Siquidem primæ ponderationi reſpõdetur, nullum Ducem ex Pontificijs tunc habuiſſe Ius muniendi, & milites colligendi ſuo arbitrio, nàm contrarium in Duce Ferrariæ, qui omnium maximus erat, declarauit Clemens VIII. in literis cenſurarum contra Cæſarem Aeſtenſem ſub §. cum autem ibi, *Quinimo Ciuitates, Terras, Caſtra, loca, Fortalitia, atque alia præfatis Militibus atque Armis diligentius inſtruxerit: commeatum comportauerit: Ferrarienſis Dictionis fines, quæ maximè Statum noſtrum immediatè nobis, ac Sedi, & Cameræ prædictæ ſubiectum pertingunt, præſidijs firmauerit, atque etiam ageribus, & Vallo de nouo communiuerit, quod ex forma inueſtiturarum etiam legitimis, & veris Ducibus minimè licuiſſet*; Neque talem facultatem obtinebat Dux Vrbini in prioribus 87
erectionibus ſui ſtatus factis in Titulum Ducatus à Sixto IV. vel Iulio II. vt potuerit communicari Ducibus Caſtri, & quamuis in vltima Anni 1548. eidem fuerit conceſſum, vt nullâ requiſitâ licẽtiâ poſſet munire, & fortificare Ciuitates, Terras, Caſtra, & loca ſui Ducatus; non tamen hoc poteſt dici communicatum, 88
quia verba ſuperiùs relata loquuntur de facultatibus, quas alij Duces tunc tẽporis habebãt, ijdemque, & ſic Duces tunc exiſtentes poterant habere, nã verba *vti frui, & gaudere poſſent quomodolibet in futurum* accipienda ſunt de fruitione ex cauſa tunc exiſtente, nempè præcedentis inueſtituræ, ſeù priuilegij, non autem ex cauſa ſuperuenientis Inueſtituræ, Quicquid enim conceditur ad inſtar, dicit reſpectum imitãtis aliud, Quæ imitatio ſolum poteſt verificari in eo, quod exiſtit, *vt rectè poſt Bald. in l. omnia 34. C. de Epiſcop. & Cleric. declarat Suarez de legib. lib. 8. cap. 15. ſub num 3.* 89

Præterea vis communicationis non 90
porrigitur ad ea, quæ vel nullatenus, vel non ſine magna difficultate concedi ſolent; Ideoquè indigent ſpeciali notâ ad tradita in *l. 1. vbi Iaſ. nu. 21. & 22. Soccin.*

iun.

iun.num 43. *&* 49. *Rip. num.*9. *& Alciat. num.*4.*de legat.*1. *Butr. conſ.*19. *nu.*9. *Natta conſ.*4.*num.*6. *Aym. conſ.*103. *Rot. deciſ.* 40.*num.*1.*verſ.fundamentum par.*4.*recent.* Quale profectò eſt Ius muniendi loca in feudum recepta, ibique milites colligen-
91 di, eòque minus inobediendi mandatis ſupremi Principis, qui ea facere poteſt gratiâ conſeruandi pacem publicam, & ſcandala euitandi *ex notatis à Gail.de pace public.lib.*1.*cap.*4.*nu.*1.*& infra, ac Sextin. de regalibus lib.*2.*cap.*1. *num.*21. *& ſequen.* loquentibus de huiuſmodi mãdatis, quæ Camera Imperialis, vel Aula Ceſarea decernit etiam ex officio contrà eos, qui militum delectum agunt, ſine clauſula iuſtificatoria, ſub pœna banni, & amiſſionis omnium beneficiorum & priuilegiorum, & tàm Ducibus, quàm Militib. intimantur; Non enim citra iuſſum dicti Principis arma colligi, & milites compa-
92 rari poſſunt, adeòut contrafacientes, publicam Maieſtatem lædant *l.tertia ff. ad l. Iul.Maieſt.*ibi *eadem lege tenetur, & qui iniuſſu Principis bellum geſſerit delectumue habuerit, Exercitum comparauerit*; Vſurpant
93 enim ſpectantia ad ſolũ Principem *Gail. d.cap.*4.*num.*5.*&* 6.

Alteri quoque reſpondetur conceſſio-
94 nem meri, & mixti Imperij, quantumuis maximam non comprehendere Ius muniendi, & armandi ad libitum ſine licentia Principis, penes quem manet ſummum Ius ſuperioritatis in eodem ſtatu, quia in totum pendet à dicta ſuperioritate, cum Populi ſalutem, & quietem concernat, in quibus ſuprema lex conſiſtit *VVernher. de Generbijs Caſtrorum dicto diſcurſu* 4. *num.* 146. *&* 147. *Andr. Knich. de iur. territ. dicto cap.* 3. *num.* 364. *iuncto nu.*399.*verſ. his ſubijciendum, Chriſtophor. Mingius in diſput.* ● *ſuperioritate Territoriali concluſ.*76. *Petr. Gregor. Tholoſan.de Republic. lib.*9. *dicto cap.* 1. *num* 15. 16.*&* 19. Nec Baldus in contrarium adductus loquitur de huiuſmodi Iure, ſed de ſola conſtructione Arcis in feudo neceſſaria, ad iuſtitiam ibi tutè exercẽdam in ſubditos, vt ſuperiùs oſtenſum fuit.

Imò nec vti cohęrens dictæ ſuperiori- 95
tati poteſt venire ſub nomine maiorum Iurium, quæ regalia nuncupantur, cum iſta verè, ac propriè ab ea differant, & ſeparata ſint, *vt rectè inquit Sixtinus de regalibus lib.* 1. *cap.*1. *num.* 18. obſeruando quod licet Principes inferiores careant Iure dictæ ſuperioritatis; habent tamen regalia ex conceſſione, conſuetudine, vel præſcriptione; Vndè ſequitur conceſ- 96
ſis regalibus ſine dicta ſuperioritate, ea ſolum venire, quæ poſſunt abſque illa obtineri, & exerceri vt commoda loci conceſſi, quibus accedunt ſaluâ ſuperioritate concedentis *ad tradita per Andr. Knich. de Iure Territ.cap.*1 *num.*344.*verſ.ſcilicet cum ſequen.* Nec proindè refert, quod dictum Ius muniendi, & armandi ad libi- 97
tum ſit de regalibus quia non dicitur eſſe de conceſſis, dum cohęret dictæ ſuperioritati reſeruatæ penes Sedẽ Apoſtolicam, nec tranſlatæ in Duces Caſtri, quare dicitur eſſe maius omnium pertinentium ad Iura maieſtatis *Sextin. de regalibus lib.*2.*cap.*1 *num.*20.*in fine.*

A verò autem quàm longiſſimè alie- 98
num eſt Ducem Caſtri eſſe Principem ſupremum, ac dictam ſuperioritatem habere, cum neque ſit ex Ducibus Maiorum, ſed minorum gentium, vt liquet ex decreto quod Paulus III. fecit in Conſiſtorio ſuper confirmatione, & approbatione erectionis dicti Ducatus die 19. Decembris 1537. & Alexander Farneſius tunc Vicecancellarius deſcripſit inter acta conſiſtorialia, tenoris huiuſmodi.

Sanctiſſimus D.N. qui nuper Ciuitatem Ca- 99
ſtrenſem in patrimonio beati Petri conſiſtentem in Ducatum cum Iuribus, inſigniis &c. Ducalibus erexerat, illumque Domino Petro Aloyſio de Farneſio conceſſerat, & omnes

E alias

alias Ciuitates, & Terras tam per Sanctitatem ſuam, dùm in minoribus erat, quàm ſuos Aſcendentes poſſeſſas, & per eamdem Sanctitatem ſuam dicto Petro Aloyſio, & Octauio eius filio cōceſſas inuicem perpetuò vniuerat, ac quod poſt dictum Petrum Aloyſium dictus Octauius, & ſucceſſiuè ille ex ſuis, & dicti Octauij deſcendentibus, qui pro tempore eſſet Primogenitus tantùm, excluſis omnibus aliis tā maſculis, quàm fœminis, in huiuſmodi Ducatu ſuccederet, & aliis maſculis certa portio fructuum eiuſdem Ducatus pro victu, & veſtitu tantùm, excluſis etiam me, & D. Ranuccio germano meo, & ipſius D. Petri Aloyſii filijs, quibus aliundè ſufficienter prouiſum extitit, ac fœminis competens dos daretur, & alias circa modum ſuccedendi in Ducatu huiuſmodi ſtatuerat, necnon Ducatum huiuſmodi, ac Ciuitates, Terras, & omnia loca ſub illo comprehenſa à Camera Apoſtolica, & Prouincia Patrimonij. Reſeruato tamen Sedi Apoſtolicæ ſupremo Dominio, ſeparauerat, ac Domino Petro Aloyſio, & Octauio præfatis, & aliis Ducibus pro tempore exiſtentibus merum, & mixtum Imperium, ac gladii poteſtatem, & quæcunque alia regalia etiam cum facultate cudendi etiam aureas, & alias monetas, ac imponendi gabellas, & extrahendi frumenta, & omnia alia faciendi, quæ alii Duces Apoſtolica, vel Cęſarea authoritate creati faciebant, & facere poterant, ac honores & inſignia, aliaque Ducalia cum decreto quoad illa tantum onera ſubeunda, quæ alii Barones, & Domicelli Romani, qui in diſtrictu Vrbis conſtituti ſubeūt, conceſſerat erectionem, vnionem, ſtatum, ſeparationem, & conceſſionem huiuſmodi, & omnes, & ſingulas alias gratias, immunitates, libertates, & quaſcūque abſolutiones tàm criminales, quàm ciuiles, et tàm per Sanctitatem ſuam, quàm eius Prædeceſſores factas, & conceſſas cum innouatione, et noua conceſſione illarum, ac omnes, et ſingulas ſupradictas, ac quaſcumque alias remiſſiones, reſtitutiones, reintegrationes, inueſtituras, et quaſuis alias conceſſiones, tam eiſdem Petro Aloyſio, & Octauio, quàm mihi, & aliis ipſius D. Petri Aloyſii filiis, ac maioribus et noſtrorum cuilibet factas, et conceſſas, ac etiam ſingulas deſuper confectas literas, cum ſuppletione Iuris, et facti, ac ſolemnitatum defectuum, ſi qui forſan interuenerint, in iiſdem confirmauit, et approbauit, ac perpetuæ firmitatis robur obtinere decreuit: Voluitque, et conceſſit Sanctitas ſua literas Apoſtolicas de, et ſuper omnibus, et ſingulis præmiſſis cum pleniori, et veriori præmiſſorum omnium ſpecificatione, et omiſſione, ac dictarum litterarum in toto, vel in parte inſcriptione, et expreſſione, vel pro inſertis, et expreſſis habitione latiſſimè abſoluen̄ etiam &c. et alias prout in cedula deſuper conficienda continebitur in omnibus, et per omnia iuxta illius tenorem, etiam per quemlibet ex noſtris ſeparatim expediri poſſe.

Ad illud enim vti ſolidum, ac germanum teſtimonium voluntatis Pauli Tertij redigendus eſt ſenſus priorum literarum deſuper expeditarum pridiè Kalendis eiuſdem menſis Nouembris, ac ſubſequentium Kalendis Ianuarij; Nam primæ aſſertioni reſiſtit clauſula; *Reſeruato tamen Sedi Apoſtolicæ ſupremo Dominio*, quæ pariter legitur in cedula Motus proprij, quā Paulus III. ſignauit primo loco per verbum fiat, ibi, *Saluo tamen ſupremo Dominio, & fidelitatis iuramento præſtando*;

Vtraque enim firmat Paulum III. noluiſſe in Ducem Caſtri transferre dictam ſuperioritatem, ſeu maioriam, qua ſuo arbitrio poſſet in omnibus moderari politiam dicti Ducatus, & cum mallet Arma, & Militum copias in eo parare vſurpādo nomen Principis ſupremi, quod ſoli Pōtifici de Iure cōpetit in ſua Ditione *Bald. in l. 1. num. 14. de conſtit. Princip.* Nec ſuprema Poteſtas in eo reſidens quoad dictæ politiæ moderationem ſeparabilis eſt per conceſſionem alijs factam directi, ac vtilis Dominij *Bald. in l. qui ſe patris n. 34. verſ. item in conceſſis, C. vnde liberi.* 100 101

Alte-

Alteram vero probat ſubiectio Ducis Caſtri eiſdem oneribus, quæ ſubeunt alij Barones, & Domicelli Romani exiſtentes in diſtrictu Vrbis; Non enim hoc ſinit
102 eum poſſe extolli ſupra conditionem, ac vicem aliorum, quæ in prædictis eſt parendi, non imperandi, nec huiuſmodi paritas, quoad legem ſubiectionis poteſt
103 controuerti ſi vltra Dictionem (Alij) quæ ſuâpte naturâ eſt nota ſimilitudinis *ex notatis in l. 2. C. de ſeruis fugitiu. Bald. in l. final. num. 1. C. de his qui à non Domino manumit. cum alijs per Grat. diſcep. 10. n. 2.* ponderetur æquiparationem fieri circa obligationem ſubeundi onera; Nam pro
104 argumento à ſimili ſufficit, quod ſimilitudo ſit in eo, in quo fit comparatio, licèt in alijs ſit diſsimilitudo *c. quemadmodum, vbi Abb. in 1. notab. de iur. iur. Euerard. in loco à ſimili n. 3. circa med. verſ. & procedit.* Quamobrem rectè dicitur, potentiá Ducis Caſtri non fuiſſe in his maiorem eâ, qua pollent in diſtrictu Vrbis cæteri Barones, ac Domicelli, & ſic Duces minorū
105 gentium, cum parium eadem, non maior potentia ſit, & à pari potentiâ par effectus procedat *ſecundum Baldum in l. conuenticulam ſub num. 3. verſ. Item eſt argumentum à pari, C. de Epiſc. Cleric. Euerard. in loco à pari num. 2.*
106 Cuius argumenti vis confirmatur primò, quia Paulus Tertius in dictis litteris expreſſit ſic velle ſtatui domus ſuę prouidere, ſicut prouiderant Nicolaus V. Vrſinæ, Martinus Quintus Columnenſi, & Bonifacius VIII. Caietanæ, ibi, *Nos igitur prout Nicolaus in Vrſinorum, & Martinus prout in Columnenſium, ac etiam piæ memoriæ Bonifatius Papa VIII. in Caietana familijs pro illorum exaltatione, & perpetuitate ſtudioſè, & ſollicitè etiam circa modum per maſculos tantùm ſuccedendi prouidiſſe dicuntur, illorum veſtigijs inhærendo ſimiliter ſtatui Domus noſtræ prouidere volentes*, illa enim dictio (*ſimiliter*) denotat ſimilitudinem facti, & modi ad præcedentia, & quādam æqualitatem *Menoch. conſ. 124. num. 60. vol. 2. Honded. conſ. 4. num. 33. vol. 1. Surd. conſ. 303. num. 34. volum. 3.* quod apertè innuit parem non maiorem exaltationē concedere voluiſſe Duci Caſtri, quam haberent dictæ tres Familiæ in diſtrictu Vrbis.

Secundò quia ex actis publicis officij Charitatis de Vrbe conſtat ex illa ad Ducatum Caſtrēſem miſſos fuiſſe Commiſſarios pro inueſtigandis Authoribus delictorum, & proceſſibus ibi contrà eos formandis quoties occaſio ſe obtulit, ſicut fieri ſolet ad loca aliorum Baronum, nàm vltra exempla vetuſtiora, ſedēte Paulo V. occaſione homicidij commiſſi in perſonam Caroli Scotti in Territorio Vetrallę miſſus fuit anno 1610. Torquattus Mareſcottus ad Terram Roncilionis, vbi diù moratus, ſuper illo condidit proceſſum aduerſus plures, & Maximè Nicolaum de Blaſchis Lucenſem; pluresue actus Iuriſdictionales exercuit; Feliciter autem regnante Vrbano VIII. bis anno 1626. Paulus Mangonius tunc Locumtenens Gubernatoris Vrbis acceſſit ad ditionem Caſtrenſem, & in diuerſis locis ſub ea compræhēſis, proceſſum formauit aduerſus Alexandrum Pallauicinum, & alios palàm, ac liberè exercendo omnes actus Iuriſdictionales neceſſarios pro legitima expeditione ſuæ commiſſionis. Anno 1628. occaſione publicæ torturæ, quam Troilus Platonius Iudex Roncilionis temerè auſus fuerat inferre duobus Satellitibus Gubernatoris, ab eodem miſſus fuit Andreas Gabriellius eius Locumtenens, & tàm ibi, quàm in alijs locis Duci ſubiectis proceſſum habuit contra dictum Platonium, & Marcum Aurelium Carinum de Tarano in Sabinis, Procuratorem Fiſcalem, nec diſſimilem proceſſum contrà plures perſonas ſuper diuerſis criminibus fecit anno 1630. in Oppido Crocchiani, 107

& Ca-

Digitized by Google

& Caſtro Burghetti Franciſcus Caſtagnaccius, vnus ex Locumtenẽtibus ſubſtitutis in Tribunali Gubernatoris Vrbis de illius mandato, quibus accedunt alij Commiſſarij miſſi pro re annonaria, de quibus actum fuit in prima parte.

108 Tertiò, quia ſimilis prætenſio iuſtè reprobatur à Petra *de Iure quæſit. non tollen. per Princ cap. 3. quæſt. 4. num. 67. verſ. licet multi* in Duce Ferrariæ, vt temerè aſſerta ab Adulantibus, quamuis omnes Pontificios potentiâ, ac dignitate præcelluerit.

109 Et hinc etiam corruit poſtrema aſſertio, quod animus Ducis in muniendo, & armatos conuocando non debuerit interpretari in malam partem, nam ſublatâ omni cauſâ referibili ad bonam, procul dubio eſt referendus ad malam, vel quidem ex ſolo exceſſu, qui vt ſuperiùs dixi regulariter ſumitur in malam par-
110 tem Auendan. *de exequen. mãdat. reg. par. 1. dicto cap. 14. num. 3. verſ. cum ergo iuncto num. 1. in fine, et dicto num. 3. in princ.* cum ſoleat eſſe noxius Reipublicæ.

111 Maximè quia ratio tanti motus inſoliti nulla vrgente cauſa extrinſeca præter Iudicium prius paratum & poſteà motũ pro Montiſtis, quod dirigebatur ad exequendum ſuper Ducatu Caſtrenſi tan-
112 quam dote Montium perſpicuè demonſtrat, qualis eſſet intimus sẽſus Ducis, aſſerente *Bald. in proemio decretal. verb. Rex pacificus num. 14. verſ. ſed quod teſtimoniũ.* Quod poſſumus habere teſtimonium de intrinſeca linea cordis per rationem naturalem, vel ciuilem, vbi etiam ſubdit cum Iob, intentionem, & animũ, quoad facta probari ex operationibus, quæ in Duce fuerunt reſiſtendi armata manu copijs Pontificijs, ſi acceſſiſsent vti auxiliares iudicati pro Montiſtis, nam qualis ſit animus hominis latens in corde, ac ſo-
113 li Deo notus directè, ſcribentes inquiunt clarè dignoſci ex his quæ geſta fuerunt *§. pauonum in fine inſtit. de rer. diuiſ. l. ſed Iulianus. §. penult. ff. ad macedonian. Aym. conſ. 210. num 11. cum aliis per Maſcard. de probat. par. 1. concluſ. mihi 95. num. 7. et Farinac. fragment. par. 1. verb. Animus num. 230.*

Quinimò ex ipſamet qualitate facti 114
tàm circa munitiones repentinas, & inſuetas fieri extrà mœnia cum erectione propugnaculi, & Vallorum tempore, quo nullus hoſtis aduentus expectabatur, quàm circà militum copias in vnum ſubitò collectas, aliaſque in ſubſidium publico edicto paratas manifeſtiſſimè liquet, Ducis animum fuiſſe reſiſtendi dictæ executioni iudiciali pro Montiſtis, ſi in locis ab eo munitis fieret, inuocato de more auxilio brachij ſæcularis, nempe dictarum copiarum; nam pertritæ ſunt regulæ, quod animus præſumitur ex qualitate facti, dignoſcitur ex operibus operantis, & talis eſſe cenſetur, qualem ipſa 115
facta demonſtrant *ex cõgeſtis à Maſcard. dicta concluſ. 95. num. 1. et infra, ac Farinac. dicto verbo Animus num. 220.*

Idemq. roboratur ex inutilitate dicti
propugnaculi, & Vallorum extrà Ciui- 116
tatem Caſtri, interruptione Pontis Abbatiæ, appoſitione armatorum ibi in præſidijs, & tam ſtudioſi apparatus in militibus, annona, & armis colligendis, ſi finis tantùm fuiſſet implendi aſſertas obligationes cuſtodiendi Caſtrum, & Montem Altum, ac tutiores reddendi Arces, & muros Primi, quoniam ex ingenti armorum apparatu præter morem præſumitur animus delicti præmeditati, *vt* 117
tradunt relati per Maſcard. dicta par. 1. concluſ. 98. nu. 25. ac etiam omnes fatentur,
fortalitia præſumi facta animo nocendi, 118
quoties nulla ex cauſa erant neceſſaria *Roman. conſ. 52. num. 3. prope finem verſ. ſed hic, et quarto verſ. quod præſumitur. Pariſ. de* Puteo *de reintegrat. feud. quæſt. 176. num. 6. verſ. quod præſumitur fol. mihi* 107.

Ma-

Digitized by Google

Maſcard. dicta par. 1. concluſ. 97. ſub n. 12. et ſequen.

Quibus accedit non leuis coniectura
119 petita ex diſcreta expulſione omnium Incolarum, qui originem trahebant à locis ſubiectis Sedi Apoſtolicæ, & retentione ſubditorum alijs Principibus; Innuit enim finem dictarum munitionum fuiſſe reſiſtendi, & oppugnãdi Iuſtitiam ibi exercendam pro Montiſtis à Iudicibus, & Miniſtris Sedis Apoſtolicæ, ac etiam ex mora in parendo primis monitis Auditoris Cameræ de mandato Sanctiſſimi, ſuper dimiſſione Militum, & demolitione.

Imò ſuper Ducis mandato de bello
120 gerendo cum copijs Pontificijs, ſi accederent, ſubeſt certa probatio ex depoſitione plurium Officialium, & Militum Ducis, examinatorum in actis, tam antè quàm poſt obſidionem Caſtri, eorum reſponſione, qui erant in Arce Montis Alti, & Ponte Abbatiæ, ſe excuſantium de reſiſtentia facta armis Pontificijs ob mãdata præciſa, quæ in contrarium habebant à Duce, & confeſſione Pręfecti An- 121
gelerij in traditione Clauiũ Caſtri, dum rogauit Marchionem Aloyſium Mattheum Ductorem Exercitus Pontificij, vt Duci teſtimonium perhiberet de ſua fidelitate circa implementum obligationis boni Ducis in reſiſtendo exercitui inimico, quam ipſe Dux tacitè videtur 122
confirmaſſe, eum (vt fertur) carcerando Parmæ, quia aduerſus arma Pontificis non defenderat Caſtrum toto tempore quo promiſerat oretenus Placentiæ, & poſteà ratificauerat per literas.

Inconcuſſa ergo manet ex prædictis iuſtitia eorum, quæ Duci præcepit Auditor Camerę, cum ſingula, in dictis Breuibus expreſſa, ſubſiſtant. Ideoque penitus corruat aſſertus defectus intentionis Sanctiſſimi, cum omnibus indè illatis per Authorem.

Digitized by Google

ARTICVLVS SECVNDVS.

SVMMARIVM.

IVdex nequit recuſari ſuſpectus propter inimicitiam niſi manifeſta ſit, & probata in ſpecie, non autem in genere num.1.

Iudicium Sanctiſſimi in præcipiendo Auditori Cameræ, vt Ducem moneret, fundatum fuit in vera relatione facti num.2.

Defenſio Ducis non fuit neceſſaria num. 3. neque facta debito modo num. 4.

Concluſio, quod iudicium Principis ad aliorum relationem non ſit infallibile, retorquetur contra declarationem Clementis VIII. ſuper tractis num.5.

Cardinalis Raggius aſſeuerat, non fuiſſe ſibi præſentatum aſſertum memoriale recuſationis num.6.

Libellus recuſationis porrigendus eſt ipſi Iudici num.7.

Iudex non poteſt recuſari ſuſpectus in notorijs, præſertim quando criminaliter agitur n. 8. neque ſine cauſa iuſta, legitima, & rationabili num.9.

Si cauſa recuſationis eſt friuola, eâ non obſtante procedi poteſt ad vlteriora num.10.

Executor non recuſatur ſuſpectus num.11.

Actus tribuitur mandanti, non exequenti num.12.

Papa non poteſt recuſari ex quacumque cauſa etiam iuſta num. 13.

Delinquens vocatus à Iudice loci commiſſi delicti non valet allegare exceptionem loci non tuti num.14.

Sanctiſſimus ſub fide Principis obtulit Duci Saluum Conductum num. 15. ac prorſus inexcogitabile eſt, quod Cardinales nepotes voluerint publicam Patrui fidem in eo datam violare num.16.

Violans Saluum Conductum dicitur reus læſæ Maieſtatis num.17.

Exceptio loci non tuti quando non eſt notoria nil releuat niſi deducatur, & probetur coram Iudice num.18. ſaltim per excuſatorem num.19.

Si locus non eſt tutus Reo vocato in Iudicium ex cauſa reſpiciente eius ſolam perſonam, dicitur tutus Excuſatori num.20.

Procuratores, & Miniſtri Ducis ſemper tuti fuerunt in Vrbe, & in Tribunalibus benignè recepti ad proteſtandum num.21.

IN hoc Articulo Author nititur probare præcepta, ſeù monitoria Auditoris Cameræ non obligaſſe Ducem vti notoriè iniuſta, ac eſſe nulla, ex eo, quod emanauerint ab Auditore Cameræ, quem ſupponit recuſatũ fuiſſe ſuſpectum à Duce, additque non potuiſſe hunc moneri ad comparendum in loco non tuto ob figmentum dictæ inimicitiæ cum fratribus Barberinis.

Verum ſicut omnis iniuſtitiæ prætex-
tus diluitur ex iam dictis, nec vllum aſ-
ſertæ inimicitiæ ſignum exhibetur, quæ 1
tamen concludenter probari debuiſset,
quia non poteſt Iudex ſuſpectus recuſari
propter inimicitiam, niſi manifeſta ſit,
adeòut illius cauſa ſpecialiter exprimi de-
beat, nec ſufficiat allegatio in genere,
quia nemo præſumitur inimicus alterius,
cum inimicitia ſit contra Ius naturale
*Bald. in c. conſtitutus num. 25. de reſcriptis
Franc. in c. poſtremò, verſ. 35. & Præpoſi-
tus num. 11. in cauſa 35. de appellat. Ripa
in cap. 1. num. 14. de iudic. Aufrer. de recuſat.
num. 26. verſ. ſed in hoc, & verſ. dicit ta-
men. Farinac. fragment. par. 2. verſ. Iudex
num. 881.* Ita quoque prætenſæ nullitatis
color omninò inficitur.

Nec proinde ad rem faciunt duæ concluſiones, quas præmittit; Altera, quod iudicium Summi Pontificis ad aliorum relationem non ſit infallibile in his, quæ pertinẽt ad hominum facta particularia. Altera, quod defenſio ſit etiam contrà eũ licita, dummodo neceſsaria, ac debito

modo

2 modo fiat; nàm iudicium Sanctiſsimi in præcipiendo Auditori Cameræ, vt Ducem moneret, fundatum fuit in vera relatione facti, & apprimè conſentaneum regulis Iuris, ac pacifico regimini ſuæ Ditionis:
3 Nec defenſio dici potuit neceſsaria cum aſsumpta fuerit à Duce ad impediendam executionem Iuſtitiæ, cui omnes obtemperare, non autem illâ abuti debent, ex dicto Ciceronis lib. 1. de legibus, minuſue facta debito modo cum proſilitum ſit
4 ad munitiones, & arma non ſolum de iure vetita; ſed etiam damnata per Conſtitutiones Apoſtolicas, ipſique Duci ſpeciali iuſsu prohibita, vt per violentam defenſionem nō iure, ſed iniuria eluderetur fines iudicij, quod per actum fuit nomine Montiſtarum; Imò prima conclu-
5 ſio retorquetur aduerſus declarationem Clementis VIII. ſuper tractis, vt potè factam ex relatione Congregationis, cui Iura Cameræ Apoſtolicæ relata in primâ parte non fuerunt exhibita, nequit enim ex hoc dici Principis declaratio, quia nō ipſe, ſed relatores eam feciſse videntur *ex adductis per Laurentium de Iudice ſuſpecto cap. 3. num. 7. verſ. ad alicuius*.

Et quamuis ex ſola negatione præaſſertæ inimicitiæ non probatæ exaduerſo labefactetur vtraque baſis dictæ nullitatis, tam ſcilicet quoad recuſationem Auditoris Cameræ, quàm exceptionem loci non tuti in Vrbe; Nihilominus additur
6 primam non probari: Imò Cardinalem Raggium tūc Auditorem Cameræ ſcripto aſseueraſse, ſibi talem recuſationē, aut memoriale minimè præſentatum fuiſse, Proteſtationem vero affixam Bononiæ non afficere, quia libellus recuſationis
7 porrigēdus eſt ipſi Iudici *ad text. in l. apertiſſimi 14. ibi libello recuſationis ei porrecto, C. de Iudic.* cum expreſsione iuſtæ cauſæ *d. cap. cum ſpeciali 41. de appellat. ibi ſtatuimus, vt ſi allegauerit Iudicem eſſe ſuſpectum coram eodem cauſam iuſtæ ſuſpicionis aſſignet*, & in ſcriptis, ſicut appellatio *ſecundum gloſ. in c. quoniam contrà verbo recuſationes de probat. & alios congeſtos à Farinac. d. verbo Iudex num. 703.* quibus omnino caret aſserta proteſtatio Ducis.

Nec probatam releuare, tùm quia crimen Ducis in muniendo, & milites colligēdo erat notorium, quo caſu Iudex nequit dici ſuſpectus, cum non indigeat inquiſitione, ſed ſolâ puniendi coërctione; Ideòque potius legum Executor in hoc dicendus ſit, quàm Iudex, vel cognitor: Vndè paſsim recipitur, quod Iudex non valet vti ſuſpectus recuſari in notorijs, præſertim quando criminaliter agitur, cum Reus tunc numquàm euadere poſsit pœnam, ſiue cōfiteatur, ſiue neget factum notorium, quia eius negatio conuincitur per euidentiam rei, nec propterea poteſt eam dubiam reddere *Butr. in cap. cum ſpeciali num. 7. Imol. num. 16. & Franc. nu. 24. de appell. Alberic. in d. l. apertiſſimi ante num. 1. verſ. in notorijs ibique Aretin. num. 3. in fin. verſ. ſcias tamen C. de Iudic. Specul. tit. de recuſat. §. effectus n. 37. cum alijs per Laurent. de iudic. ſuſpect. c. 11. num. 1. & 2. iuncto num. 20. & Farinac. dicto verſ. Iudex num. 699.* 8

Tùm quia Iudex nequit recuſari ſuſpectus ſine cauſa, nec ſufficit quælibet beneuiſa recuſanti, ſed debet eſse iuſta, legitima, & rationabilis *d. cap. cum ſpeciali verbo iuſtæ ſuſpicionis, vbi gloſ. & Canoniſtæ communiter de appell. & in cap. ſi contra vnum verſ. ſuſpicionis de offic. delegat. in 6. gloſ. in c. ſuſpicionis cauſa verb. ſuſpicionis, vbi Hoſtien. ante num. 1. verſ cauſa Butr. num. 14. Card. num. 1. in 1. notab. & Anchar. num. 2. verb. ſuſpectum verſ. ſed Iacobus extra eodem tit. cū alijs per Farinac. d. verb. Iudex num. 805.* Adeout ſi notoriè friuola, & fruſtratoria ſit, non obſtante recuſatione valeat procedere ad vlteriora, ſicut vno ore tradunt congeſti *per Farinac. d. ver. Iudex num. 806.* Qualis pro- 9 10

Digitized by Google

profectò fuiſſet dicta cauſa inimicitiæ figuratę cum fratribus Barberinis ex principijs non ſubſiſtentibus in facto.

Tùm etiam quia Auditor Cameræ fecit huiuſmodi præcepta de ſpeciali mandato Sanctiſſimi, & ad limites Breuium deſuper expeditorum, in quibus ipſe Pōtifex idem iuſſit, ac prȩcepit; ex hoc enim
11 patet, ſimplicis Executoris partes egiſſe, qui de Iure non poteſt recuſari ſuſpectus, cum nihil agat Motu proprio, ſed de ſuperioris mandato *cap. nouit ille vbi Franc. num. 2. de appell. Laure. de Iudic. ſuſpect. c. 8. nu. 2. ſub princ. verſ. Franc.* Actuſue etiam
12 de Iure tribuatur mandanti, & committenti; non autem exequenti, *vt in propoſito arguit Lauren. dicto num. 2. verſ. ac mā-*
13 *danti*; Nec quoad Papam ſit locus recuſationi ex quacumque prætenſa iuſta cauſa *Franc. d. cap. poſtremo num. 14. verſ. hinc eſt Prapoſitus num. 8. verſ. Ideò Papa, & Dec. num. 3. idem Franc. in d. cap. cum ſpeciali num. 32. & Prapoſit. num. 25. de appellat. alijque plena manu relati per Farinac. d. ver. Iudex num. 7.*

Reſpondetur etiam non obeſſe ſecundam concluſionem, quia Dux nō potuit excuſari, quominùs ſiſteret ſe corā Auditore Cameræ, ſub prætextu loci non tuti, ſiuè conſideretur ex perſona Iudicis, qui eum vocauit ad ſe expurgandum de delictis commiſsis in Ditione Caſtrēſi, ſiue ex perſona aſſertorum Inimico-
14 rum; Non quidem reſpectu Iudicis, nam delinquens vocatus à Iudice loci cōmiſsi delicti nō valet huiuſmodi exceptionem allegare; ſibi enim debet imputare, cur deliquerit eo in loco, quem poſteà dicit ſibi tutum non eſſe reſpectu Iudicis, cū delictum ob abſentiam Rei non debeat remanere impunitum ab illo, vt docent *Bald. in l. omnes §. verum ſi Apparitor ſub num. 3. verſ. ſecundum C. de Epiſc. & Cleric. Alex. in l. recuſare §. ſi quis alio num. 5. in fine, ff. ad trebell. Aret. in c. Veniens num. 54. de accuſat. Rubeus Alexand. in l. penult. §. ad crimen num 204. ff. de public. Iudic. Menoch. conſ. 100. num. 207 verſ. quoad Iudicis perſonam cum ſequen. vol. 1. Lauren. de Iudic. ſuſpecto cap. 13. num. 32 Franc. Marc deciſ. 67. num. 9 verſ adde par. 1.*

Minùs reſpectu inimicorum qui figu- 15
rantur, cum Sanctiſſimus, Duci ſub fide Principis per Breue obtulerit ſaluum cōductum, & permiſerit cuſtodiam quinquaginta armatorum; Nam prorsùs inueriſimile, & inexcogitabile eſt, quod 16
Nepotes, acerrimi cultores iuſti, & honeſti, publicam patrui fidem fallere, & in crimen læſæ Maieſtatis incidere voluiſſent curando ſub illa Ducem offendi, *vt rectè in propoſito firmat Menoch. d. conſ. 100. nu. 208. in fine verſ. quo verò ad perſonam cum duobus ſequentibus*; nam violans ſaluū conductum dicitur eſſe reus læſæ Maie- 17
ſtatis *ex opinione Bartoli magis communiter recepta in l. 1. num. 6. ff. ad l. Iul. Maieſt. quem ſequuntur relati per Gigan. de crimine læſæ Maieſtatis lib. 1. quæſt. 33. num. 7. Menoch. de arbitrar. lib. 2. caſu 337. num. 2. & dicto conſ. 100. num. 210. ac Laurentium dicto cap. 13. num. 26. poſt med. verſ. ſaluumque conductum, teſtantes de magis recepta.*

Nec videtur prætermittendum, quod 18
Dux debebat expreſsè proteſtari de hoc coram Auditore Cameræ, cum prætenſa Notorietas minimè ſubſiſtat *iuxta opinionem Bartoli in l. de pupilio §. ſi quis ipſi Pretori num. 14. ff. de oper. nou. nunciat. & ſequacium quos recenſet Menoch. dicto conſ. 100. num. 206.* Nam quando talis exceptio non eſt notoria, citatus tenetur comparere coram Iudice ad allegandum locum ſibi non eſſe tutum, & dilationem poſtulandam pro illius probatione, *vt ex Franc. & aliis declarat Laurent. d. cap. 13. num. 15.* vel ſaltim tenebatur mitte- 19
re excuſatorem idem allegantem, & probantem *iuxta dictum Baldi in cap. 1. verb.*

ſenten-

ſententia num. 1. *de pace Conſtantia Angel. conſ.* 65. *in fine, & Rota deciſ.* 5. *de dolo, & contumac. in antiquis, quod repetit Menoch. dicto conſ.* 100. *num.* 199. à quo non poteſt excuſari dicendo, quod neque locus
20 illi tutus fuiſſet; Tùm quia de Iure non procedit hoc, quando locus dicitur non tutus ex cauſa ſingulari reſpiciente perſonam ipſius vocati in Iudicium, vt diſtinguendo firmat *Menoch dicto cõſ.* 100. *num.* 200. *verſ. ſecundo modo cum ſequen.* Tùm quia experientia contrarium docuit, nam tutiſsimè ſemper in Vrbe fue-
21 runt, ac hodie degunt Procuratores, & Miniſtri Ducis, ac ipſa Tribunalium ſubſellia teſtantur benigniſsimè excipi, vndè licet inferre, quod idem actum fuiſſet cum Domino, ſi acceſſiſſet ad Vrbem.

Debuit ergò Dux ſeruare tàm primũ quàm tertium pręceptum Auditoris Cameræ, cum de iuſta intentione Sanctiſſimi quoad illud apertiſſimè conſtet ex deductis ſuper primo articulo; Nec contrà nouiſſimum vrgeant dictæ exceptiones recuſationis, ac loci non tuti, prout etiam debuiſſet, remouendo, non augendo nouitates perperàm inchoatas non impedire effectum præfixionis alterius termini quindecim dierum expreſſi in ſecundo præcepto, quod emanauit ſub eadem præſeruatiua primi nõ impediendi prouiſiones beneuiſas Sãctiſſimo, tàm cum armis, quàm ſine, vt poſſet eo frui citrà accelerationem armorum Eccleſiæ vindicum ſuæ dignitatis, aduerſus contumaciam Vaſſalli malè cogitantis libertatem in ea poſitam eſſe, non autem in moderatione, aduersùs dictum Ciceronis in Oratione pro Neio Planco.

Digitized by Google

ARTICVLVS TERTIVS.

SVMMARIVM.

EXcommunicationis cauſa materialis, licet ſit peccatum mortale; illud tamen inducitur eo ipſo, quod Iudex Eccleſiaſticus aliquid ſub eius pœna fieri vetat, vel præcipit num. 1.

Munitiones, & motus Armorum Ducis fuerunt cauſæ grauiſſimæ pro excommunicatione num. 2.

Duplici ſpecie inobedientiæ ſe obſtrinxit Dux, materiali propter tranſgreſſionem Conſtitutionum Apoſtolicarum continentium pœnam excommunicationis, & formali ob perſiſtentiam in ea poſt monitionem Auditoris Cameræ num. 3.

Excommunicatio eſt inuenta ad comprimendam inobedientiam num. 4.

Defenditur excommunicatio lata contra Ducem ab obiecta nullitate Breuium ex defectu intentionis Sanctiſſimi num. 5. à prætenſo errore intollerabili num. 6. ab occulto animo Ducis à num. 8. vſque ad 11. ab aſſerto defectu monitionis legitimæ nu. 12. à recuſatione Auditoris Cameræ num. 13. ab appellatione coram honeſtis viris à num. 14. vſque ad nu. 20. ab excuſatione non comparendi ob pluries decantatã exceptionem loci non tuti num. 21. & à ſuppoſita impoſſibilitate parendi ſub prætextu, quod loca munita deuenerint ad manus Cameræ prius quam eſſet lapſus terminus præfixus in ſecundo monitorio à num. 22. vſque ad 25.

Error intolerabilis in ſententia excommunicationis dicitur qui eſt patenter expreſſus num. 7.

Animus non dicitur occultus niſi excludat omnem cognitionem ſenſitiuam à qua incipit cognitio humana, & ſecundum quam iudicat Eccleſia num. 9.

Quando ſenſus interni manifeſtãtur per actus exteriores adeſt ſubiectum ſufficiens pro Iudicio Eccleſiæ, vt poſſit inobedienti infligere pœnam excommunicationis num. 10.

Animus faciendi rem per ſe licitam ad finem illicitum conſtituit materiam capacem excommunicationis, quando procedit ad actũ externum infectum ex dicto fine illicito. num. 11.

Appellatio interpoſita coram honeſtis viris nõ iuuat appellantem, niſi præcedat diligentia de appellando coram Iudice à quo nu. 14. nec operatur effectum ſuſpẽſiuum, & cauſat attentata niſi prius intimetũr Iudici à quo num. 17. nec illum inducit quando notorium eſt non tenere, quia cauſæ in ea expreſſæ ſunt friuolæ num. 18. & 19. quales ſunt hoc caſu num. 20.

Procurator Ducis fuit admiſſus poſt ſententiam reatus ad proteſtandum penès Tribunal Cameræ pro ſolutione cenſus nu. 16.

Auditor Cameræ, eſt Papæ, & Cameræ, & non aliorum Auditor num. 20.

Secundum Monitorium emanauit ex benignitate in vim Breuis continentis explicitam præſeruatiuam tàm reatus Ducis, & pœnarum ab eo incurſarum ex primo monitorio, quam Iuris inde Fiſco quæſiti, & declarationem quod Sanctiſſimus nolebat ſibi manus ligare num. 23.

Copiæ Pontificiæ motæ fuerunt ad coadiuuandam executionem decretorum pro Montiſtis num. 24.

Dux perſtitit in non paritione vſque in finem ſecundi termini num. 25.

Neque eſt vſus remedijs Iuris neceſſarijs ad euitandam ſine ſcandalo excommunicationem, quam perperàm dicit iniuſtam num. 26. ſibique non alijs debet imputare ſecuta ob non implementum ſuæ obligationis cum Montiſtis; & non paritionem monitis Sanctiſſimi num. 27.

Non applicantur authoritates Cardinalium Bellameræ, Florentini, Alexandrini, & Caietani, necnon Gerſonis, Suarez, & alio-

Digitized by Google

aliorum allegatorum ab Authore nu. 28. & 30.

Non fuit actum de ſpoliando Ducem ſine cauſa contra dictamen Iuris, ſed de illum puniendo iuxta dictamen rationis, propter eius munitiones aduerſus executionem Iuſtitiæ, & contra conſtitutiones Apoſtolicas num. 29.

Stante validitate, & iuſtitia excommunicationis validum, & iuſtum erit interdictum, ſi publicetur num. 31. nec eius cedulones poſſunt diuelli num. 32.

CVm fuerit in primo Articulo abundè firmata iuſtitia, & in ſecundo validitas Præceptorum, quæ Auditor Cameræ de mandato Sanctiſſimi fecit Duci ſub pœna inter alias maioris excommunicationis, ſuperflua quidem videtur ſpecialis diſcuſſio huius Tertij, in quo Author ſuppoſitâ illorum iniuſtitiâ, & nullitate ipſam quoque excommunicationem aſſerit iniuſtam, & nullam eſſe. Verum nè illa, quæ ingerit, videantur conſultò dimiſſa ſine peculiari reſponſione, quatenùs exorditur ab axiomate, quod excommunicatio ſolùm imponitur pro peccato mortali, non corrigibili alio modo, ex eoque infert, noſcentem ſe illo carere, ſibi poſſe ſuadere, quod minimè in eam inciderit.

1 Reſpondetur, animaduertendum eſſe, quod etiamſi cauſa materialis dictæ excommunicationis ſit peccatum mortale; illud tamen inducitur eo ipſo, quod Iudex Eccleſiaſticus aliquid ſub eius pœna fieri vetat, vel præcipit; Nam quamuis id agere, vel nè, ante dictum præceptum non eſſet in ſuo genere peccatum mortale; fit tamen eius materia, ſtatim, ac illud accedit, quia Iudex comminando talem pœnam exigẽtem culpam lætalem, abſq; dubio cenſetur tranſgreſſorem voluiſſe ad eam obligare. *Vt inquiunt Sotus in 4. ſententiarum diſtinct. 22. part. 1. art. 2. concluſ. 2. corolar. 1. Couar. in cap. Alma mater §. 9. num. 1. verſ. Primum ſi ſanè de ſentent. excomm. in 6. Martinus Ledeſma 2. parte quæſt. 23. art. 3. Caſtro in primo de legibus pœnal. cap. 5. docum. 4. in fin. Sayr. de cenſur. lib. 1. cap. 9. nu. 5. Auila eodem tract. par. 2. cap. 5. diſp. 1. dub. 2. verſ. quarto ſequitur. Alter. lib. 3. diſput. 1. cap. 1. pag. 265. col. 1. litera D. & E.* Quod indubitanter procedit, vbi materia vel in ſe grauis eſt, vel talis fit in ordine ad finem; Nàm ſolùm excipitur, quando eſt ita leuis, vt neque in ordine ad finem grauis fiat. *Auila vbi ſupra verſ. ſed hoc contrarium.* Hìc autem 2
grauiſſima fuit, tàm in ſe ipſa, quia agebatur de muniendo, & armando loca proxima Vrbi regiæ, inſcio, & inconſulto ſupremo Principe, qui clauum Reipublicæ tenet; Ideòque ſolus pro commuui bono arma mouere, & temperare debet, deque ea retinendo contrà expreſſum illius mandatum, quàm in ordine ad finem conſeruandi quietem publicam, & euitandi perturbationem, quæ ex hiſce nouitatibus ſolet in Populis oriri. Quarè tranſgreſſio primi præcepti, quod ſuper demolitione, ac militum dimiſſione Auditor Cameræ Duci fecit iuſſu Sanctiſſimi ſub pœna dictæ excommunicationis, in eo procul dubio firmauit peccatum mortale *Alter d. litera D. verſ. præſertim*: Imò nouum adiunxit alteri prius incurſo, dum cæpit munire arma, & milites colligere violando leges, & conſtitutiones Apoſtolicas idem prohibentes ſub eadem pœna.

Nec propterea Dux ſibi debuit in Animum inducere, & alijs perſuadere, quod tamquam innocens, & vacuus omni lætali culpa, nõ inciderit in dictam excommunicationem, dum propter legum vio- 3
lationem, & obedientiam (quam Summo Pontifici, ac eius mandatis exhibere tenetur omnis creatura, eoque magis Vaſſallus) ex animo obiectam in re grauiſſima

ma, maximo crimine ſe obſtrinxit, adeò ut non vna, ſed vtraque ſpecies inobedientiæ ſedem in eo locauerit; Materialis propter tranſgreſſionem dictarum legum continentium eamdem pœnam, quæ nullâ etiam pręcedente nouâ monitione contrahitur, quia ſufficit generalis monitio in eiſdem facta, quando fuerunt promulgatæ; Et formalis, dum monitus perſtitit in malè cæpto contra voluntatem Sanctiſſimi eidem inſinuatam vt ſuprà ab Auditore Cameræ, Nec comparuit iuxtà nouiſſimum illius præceptũ, ac ideò fruſtrà tentauit ſe à pœna dictæ excommunicationis ſubducere, cum ſit ab Eccleſia inuenta ad comprimendam
4 inobediẽtiam nolentis eam audire *Alter. de cenſur. lib 3. diſp. 1. cap. 3. pag. 271. col. 1. litera A. poſt Diuum Thomam, Caietanum, & Couaruu.*

Mox verò quia conatur oſtẽdere quinque rationibus dictam excommunicationem fuiſſe nullam, & iniuſtam.

Prima, quod ſtante nullitate Breuium (vt ipſe inquit) defectu intentionis Sanctiſſimi, ipſa quoque excommunicatio ſit nulla tamquam acceſſoria:

Secunda, quod animus Ducis muniẽtis occultus Eccleſiæ non potuit iuſtam dictæ excommunicationi materiam pręberè.

Tertia, quod non præceſſit legitima monitio, ſupponendo, quod nulla ratio poſſet haberi de executa, tamquàm facta ad locum non tutum Duci ex cauſa aſſertæ inimicitiæ.

Quarta quod ait Ducem ante lapſum termini recuſaſſe pro ſuſpecto Auditorem Cameræ, & coram honeſtis viris appellaſſe ad Sanctiſſimum.

Quinta, demum aſſerendo ex duabus cauſis dictæ excommunicationis, Alteram non comparitionis Ducis in Vrbe ad ſe expurgandum non afficere ob dictã exceptionem loci non tuti: Alteram inobedientiæ ſuper demolitione nouitatum, & dimiſſione militum infrà tempus pręſcriptum ceſſaſſe ex impoſſibilitate, cum dicat copias Pontificias ante lapſum termini præfixi in ſecundo monitorio, Duci ſimul ademiſſe loca munita, & facultatem parendi.

Reſpondetur, primam corruere, dùm breuia carent aſſerto defectu intentionis, & præcepta illis innixa fuerunt valida, & iuſta; nam iure acceſſionis etiam dicta excommunicatio talis eſſe debet. 5

Secundam euaneſcere, quia oſtenſum fuit in primo articulo non licuiſſe Duci ità munire, neque tàm inſuetam militũ, & armorum collectionẽ extrà ordinem facere, atque ità non contineri in monitorio errorem intolerabilem, nempè patentèr expreſſum *iuxtà verba cap. Venerabilibus § poteſt quoque de ſent excomm. ibi ſi aſſeritur in excommunicationis ſententia intolerabilem errorem fuiſſe patenter expreſſum.* 6 7

Et quatenùs additur, cauſam expreſſam in ſecundo Monitorio, quòd Dux muniuerit gratia ſe opponendi executioni contra ipſum faciendæ in fauorem Montiſtarum, non continere materiam capacem dictę excommunicationis, quia reſpiciebat finem occultum in animo Ducis, nec deductum ad eſſe formale extrinſecum, cuius Eccleſia non eſt Iudex, ſed Deus tantùm. Reſpondetur, animum Ducis non fuiſſe occultum per ſe, adeòut excluderet omnem cognitionem ſenſitiuam, à qua incipit cognitio humana, ſecundùm quam iudicat Eccleſia, vtpotè quando aliquis mente ſolùm concipit concluſionem erroneam, nec illam verbis, aut ſignis extrinſecùs ſibi, vel alijs aperit quod *gloſ. in l. cum exceptione verb. omninò ff. quod metus cauſ. Alex. & alii relati ab Alterio vbi ſup.* appellant omninò occultum, in quibus terminis loquuntur citati per authorem, 8 9

ſed

ſed manifeſtatum ab ipſo Duce pluribus ſignis, verbis, & actibus extrinſecis ſummatim relatis ſub fine primi articuli; Nam quando ſenſus interni manifeſtantur per actus exteriores, tunc indubitan-
10 ter adeſt ſubiectum ſufficiens pro iudicio Eccleſiæ, vt poſſit inobedienti infligere pœnam dictæ excommunicationis, ſicut diſtinguendo declarant *Auila par. 1. dub. 10. verſ. Ad ſecundum reſpondetur Sayr. d. lib. 1. cap. 9. ſub num. 14. verſ. Donec, vel per actus*.

11 Nec replicari poteſt, quod animus faciendi rem per ſe licitam ad finem illicitum, non ſit materia capax dictæ excommunicationis, nam quandò excedit limites actus interni, & procedit ad actum externum conſideratur, vt cauſa dicti actus externi, eique propterea tribuit, & communicat ſuam malam qualitatem, ac de licito reddit illicitum, cum pertitum ſit, effectum regulari à ſua cauſa, nec cauſatum eſſe diuerſæ naturæ à cauſante.

12 Tertiam aſſerti defectus monitionis legitimæ, tanquam factæ ad locum non tutum, quia nititur figmento aſſertæ inimicitiæ, & eneruatur replicatis in ſecundo articulo, frigida manet ſine neruis, & calore concluſionis.

13 Quartam recuſationis Auditoris Cameræ tolli diſtinguendo inter eam, quæ dicitur facta Romæ, & alteram affixam Bononiæ, illa enim ceſſat contrariâ aſſertione Cardinalis Raggij dicentis nunquam coram ipſo propoſitam fuiſſe, hæc autem quia fuit illegitima tanquam non propoſita Iudici in ſcriptis cum expreſſione iuſtæ cauſæ, vt latius habetur in ſe-
14 cundo articulo. Appellationem verò (vt dicitur) Parmæ interpoſitam coram honeſtis viris non poſſe iuuare Ducem, quia non præceſſit diligentia de appellando coram Iudice à quo *Scaccia de appell. lib. 3. cap. 2. quæſt. 6. num. 29.* vbi dicit omnes in hoc cõuenire, licet diſcrepent in eo quod diligentia prius facienda ſit etiam penes Iudicem ad quem.

Maximè quia ex actis conſtat Agen- 15
tes pro Duce non fuiſſe vlla formidinis ſpecie deterritos, quominus potuerint omnes appellationes beneuiſas interponere coram Iudice, ſi ità iudicaſſent expedire, cum fecerint plures proteſtationes in iudicio ciuili ſuper montibus aduersùs Cõmiſſarium Cameræ, & contrarium manifeſtè conuincat actus nouiſſimè geſtus à Procuratore Ducis pro ſolutione cenſus
penes Tribunal Cameræ; Nam ſicut tu- 16
tiſſimè in eo comparuit, & proteſtatus fuit poſt ſententiam, & ſic tempore, quo Dux iam erat publicè declaratus pro excommunicato, rebelli, ac reo Maieſtatis, eiuſque proteſtationes benignè exceptæ fuerunt, ità fortius ſine vllo metu comparere, proteſtari, & appellationem interponere potuiſſet coram Auditore Cameræ, ſi tale mandatum habuiſſet à Domino, nec credidiſſet illi non expedire, cauſas aſſerti metus, vt vani, ſingulatim exponere in Iudicio, nè ad veritatis indicem reuocatæ, fidem apud omnes amitterent, ſed magis intereſſe, illas in genere per actus clandeſtinè factos ſupponere apud vulgus inſcium, vt ſaltem fallerent ignaros veri.

Præter quam quod appellatio inter- 17
poſita coram honeſtis Viris non operatur effectum ſuſpenſiuum, nec cauſat attentata, niſi prius intimetur Iudici à quo, cum alias non ſit quid ei imputetur, ſi dictam appellationem ignorauit *Franc. in cap. ſi iuſtus metus num. 42. verſ. ſed ad impediendum, & 50. verſ. ſed quid ſi intimatio ibique Prępoſit. ſub num. 20. de appellat. Lancellott. de attent. par. 2 cap. 20. ampliat. 15. num. 21. & ſeq. Scaccia dicta quæſt. 6. num. 31.* nec propterea aſſerta appellatio Ducis coram honeſtis Viris, nõ intimata Auditori Cameræ, valuit eius

proceſſum impedire, & ſententiæ vires eneruare.

18 Quibus vltrà deducta in ſecundo articulo pro reſponſione ſimilis obiecti additur, quod neque appellatio ritè interpoſita, priuſquàm feratur ſententia excommunicationis, vel lapſus ſit terminus excommunicationis, latæ ſub conditione niſi pareatur Iudicis præcepto intrà talem terminum, inducit effectum ſuſpenſiuum, quoties notorium eſt non tenere, quia cauſæ in ea expreſſæ ſunt friuolæ, & confictæ ad protelandum Iudicium; Nam tūc quamuis appellatio præ-

19 cedat, non ſuſpendit ſequentem excommunicationē, quin ſtatim afficiat excōmunicatum, cum appellatio friuola, & eluſoria non debeat appellanti prodeſſe, *vt in ſpecie tenent Abb. in c. Paſtoralis §. Verum quia num.* 14 ibi *Aut notorium eſt de Appellati. Sayr. de Cenſur. lib. 1. cap. 16. n. 27.* ibi *ſed neque excommunicatio Alter. eodem tract. lib. 3. diſput. 5. cap. 1. pag. 213. col. 1. litera C.*

Quod autem friuola eſſet hoc caſu pa-

20 tet ex non ſubſiſtentia aſſertæ inimicitiæ cum fratribus Barberinis, à quibus perperam dicitur pendere authoritas Auditoris Cameræ, qui Papæ, & Cameræ Apoſtolicæ, non eorum Auditor eſt.

21 Quintam denique non obligationis cauſarum ad parendum, leuiorem cæteris eſſe, quia exceptio loci non tuti pleniſſimè fuit ex iam dictis excluſa. Impoſsibi-

22 litas verò parendi ſub prætextu, quod loca munita deuenerint ad manus Cameræ Apoſtolicæ, priuſquā eſſent lapſi quindecim dies præfixi pro termino ſecundi monitorij tripliciter euitatur in facto.

23 Primo quia dictum ſecundum monitorium emanauit ex benignitate in vim breuis continentis explicitam præſeruatiuam, tàm reatus Ducis ex primo monitorio, & pœnarum in quas inciderat propter delicta commiſſa, & non paritionem in termino illius, quàm Iuris indè Fiſco quæſiti, & declarationem, quod Sanctiſſimus nolebat ſibi manus ligare, quin eius arbitrio poſſet quandocumque etiā cū armis vendicare maieſtatē ſui imperij, & Ducis inobſequentis cōtumaciam retundere; Vndè nil refert, quod copiæ Pōtificiæ fuerint admotę ad loca munita per Ducem, eaque cęperint, priuſquā ceſſerit vltima dies termini ad demoliendum, & milites dimittendos expreſſi in dicto ſecundo monitorio habente præſeruatiuam, & declarationem ſuperiùs relatas, quia iam pœna dictæ excommunicationis fuerat à Duce merita, & incurſa ex non paritione intrà terminum primi monitorij, eaque verbis claris præſeruata, non remiſſa in ſecundo; Quò fit, vt ſemper integra, & illæſa permanſerit, ac ſi nunquam iſtud ſuperuenerit per *Iura congeſta à Schrader. conſ. 3. num. 57. vol. 1.*

Secundo quod copiæ Pontificiæ non acceſſerunt ad dicta loca munita per Ducem, gratiâ eum puniendi de inobedientia aduersùs præceptum Auditoris Cameræ, qui ſententiam poſteà latam fundauit in delictis ab ipſo Duce commiſsis, muniendo, armando, & alia gerēdo, quæ fuerunt probata in actis, ſed gratia auxi- 24
lium præſtandi apparitoribus miſsis ad exequendum in eiſdem locis mandata decreta pro Montiſtis, nè Ducis arma, & munitiones impedirent legitimam eorū executionem, nec propterea poteſt dici, quod eripuerint Duci facultatem parendi etiā intrà nouiſſimam diem ex quindecim conceſſis in ſecundo monitorio, ſi non re, ſaltim verbo per declarationē, quæ legitimè fieret in actis, quod ſcilicet parendo dictis præceptis conſentiebat demolitioni omnium nouitatum ab ipſo prius illegitimè factarum, ac Militum dimiſſioni paratus idem re ipſa per ſe agere, ſi res integra foret in manu, ac poteſtate ſua.

Ter-

Digitized by Google

25 Tertio quia Dux perſtitit in non paritione, & inobedientia vſque in finem ſecundi termini, cum non præceperit Angelerio, vt pareret, quin etiã iſte penes ſe retinuit Milites Ducis, ac Obſides receptos à Marchione Aloyſio Mattheio pro ſecuritate ſua, & dictorum Militum, ſicque continuauit in eodem Crimine, ac eadem non paritione vltrà dictum terminum; Imò Dux ipſe alios milites ad eadem loca mittendos parauit, quos ſolùm dimiſit accepto nuncio deditionis Caſtri, & conſequenter poſt lapſum ſecundi termini, ac vſque in præſens perſiſtit nullum paritionis ſignum exhibendo, cum nunquam reſipuerit fatendo delicta ab ipſo commiſſa, eorumque veniam humiliter poſtulando à Clementiſſimo Principe.

Neque re ità ſe habente applicari poſſunt tres concluſiones, quas Author ſubnectit.

Prima, quod excommunicatio nulla, ſit nullius momenti in vtroque foro.

Secunda, quod deliberans eam non ſeruare vti nullam debeat euitare ſcan dalum, vt ſinguli noſcant non aſpernari authoritatem Eccleſiæ.

Tertia, quod paſſus excommunicationem iniuſtam, non autem nullam, minimè excommunicatus ſit quoad Deum, & quamuis ratione ſcãdali teneatur eam ſeruare in foro exteriori; ſi tamen tentatis omnibus remedijs Iuris nihil poſſit obtinere, valeat ceſſante ſcandalo omnia facere, ac ſi non eſſet excommunicatus.

Priores enim ceſſant, quia verſamur in excommunicatione valida, & iuſta,
26 nec quoad tertiam concurrunt requiſita per *Sayrum de cenſuris lib. 12. cap. 17. num. 22.* quod Dux ſit vſus omnibus remedijs Iuris, cum neque voluerit vti remedio eidem propoſito per Iudicem cõparendo ad ſe expurgandum ſub ficto colore loci non tuti, ob non ſubſiſtentem cauſam aſſertæ inimicitiæ, cui Author minùs ſincerè tribuit omnia mala, quæ
Dux non implendo ſuam obligationem 27
cum Montiſtis, nec parendo iuſtis monitis Sanctiſſimi ſponte ſibi parauit.

Ideòque fruſtra ingerit, quatuor Car-
dinales ſummæ doctrinæ, Bellameram, 28
Florentinum, Alexandrinum, & Caietanum, Gerſonem, Suarez, & alios admittere, quod vbi Summus Pontifex contraueniendo dictamini Iuris gentium vult ſine cauſa, terrore pœnarum ſpiritualium ſpoliare Principem ſua Ditione, poteſt ei reſiſti abſque illarum incurſu,
quia nó fuit actum de ſpoliando Ducem 29
ſine cauſa contrà dictamen Iuris, ſed de illum iuſtiſſimè puniendo iuxtà dictamen rationis cum vrgentiſſima cauſa, nempè propter illius auſum in parando munitiones, & arma contrà executionem Iuſtitiæ, Leges, & Conſtitutiones Apoſtolicas vigentes in Ducatu Caſtrenſi & vniuerſo Statu Eccleſiæ, ac etiam in non obediendo præceptis eidem factis ab Auditore Cameræ, & mandatis Sanctiſsimi, cui non ſolum vti Dei Vicario, ſed etiam tanquam ſuo Domino directo omninò parere debebat in re, nec ipſi Duci de Iure permiſsâ, nec Iure ceſſante permittendâ, gratiâ boni publici, nè Populorum quies, & pacificum regimen Status Eccleſiæ vnius nouitatibus per-
turbaretur: Vltrà quod *Suarez ab Au-* 30
thore relatus lib. 4. contra Regem Angliæ de Immunit. Eccleſ. cap 34. in princip. loquitur de defenſione neceſſaria, & facta debito modo, quorum neutrum verificari poteſt in ea, quam Dux parauit aduerſus executionem faciendam nomine Montiſtarum, cum fuerit illicita, non neceſſaria, & ampliùs parata modo inſueto, quamue re ipſa fecit contra Exercitum Pontificium, cum iuſſerit hoſtiliter in eum procedi, non autem debito modo.

Qua-

Digitized by Google

Quatenus verò deſcendit ad diſcuſſionem interdicti, cui de Iure propter delictum Domini ſubijci poſſunt omnia loca ei ſubiecta ad *Text. in cap. ſi ſenten-*
51 *tia 11. verſ. cæterum de ſent. excomm. in 6. cum ſimilibus*, aſſeritque idem Iudicium de illo fieri debere, quod fit de ipſa excommunicatione, procul dubio ſtante validitate, & Iuſtitia excommunicationis ex iam dictis, fatetur illud etiam validum, & iuſtum futurum eſſe, ſi publicetur.

Nec diſsimilis concluſio firmanda erit in Cedulonibus, quod nequeant di- 52
uelli, & lacerari, dum ipſa excommunicatio tenet.

AR-

ARTICVLVS QVARTVS.

SVMMARIVM.

Rebellio de Iure incurritur nõ obediendo Principi, vel non receptando gentem ſuam num. 1. Vel illi reſiſtendo num. 2. Præſertim in his, quæ concernunt ſtatum, ac ſecuritatem Domini, & Territorij n. 3. & per Conſtitutiones Apoſtolicas à munientibus, & facientibus coadunationes Armatorum num. 4.

Oſtenditur Ducem Caſtri incurriſſe in crimen rebellionis tam de Iure communi, quam ex dictis Conſtitutionibus num. 5.

Verba Leonardi inter conſ. Albert. Brun. alleg. ab Authore non applicantur ad rem noſtram num. 6.

Refelluntur declarationes adductæ ad euitandam pœnam rebellionis, quia in omnibus reſiſtit factum num. 7.

Dominus directus poteſt propria authoritate feudum tollere Vaſſallo, ſi eius inobedientia eſt notoria num. 8.

Filij Rei Maieſtatis priuantur ſucceſſione tam de Iure communi, quam ex Conſtitutione Sixti V. num. 9.

Rebellio de Iure incurritur non obe-
1 diendo Principi, vel non receptando gentem ſuam, *vt loquitur Bartol. in Extrauag. Qui ſint rebelles, verb. tenore n. 4.*
2 ac etiam illi reſiſtendo, quia prouenit ex contumacia, aut inobedientia, quando quis ſe ipſum à Principis Imperio ſubducit, eique reſiſtit *l. 2. C. de Deſert. lib. 12. Aym. conſ. 452. nu. 13. Caualcan. de Brach. reg. par. 1. num. 66. Andr. Knich. in Encyclop. cap. 3. num. 72. verſ. ſubditus,* præſertim in
3 his quæ concernunt ſtatum, & ſecuritatem Domini, ac Territorij *Alex. conſ. 103. nu. 18. verſ. quia verum vol. 1. Felin. conſ. 12. num. 2. Andr. Knich. dicto cap. 3. num. 73. verſ. præſertim*. Ex Conſtitutionibus vero Apoſtolicis relatis in primo articulo 4
Rebellio incurritur à facientibus coadunationes armatorum ſine ſcientia Romani Pontificis, vt expreſsè cauetur in §. 3. 1. Alexandri Sexti, ibi, *ſicque conuenientes pro rebellibus eiuſdem Romanæ Eccleſiæ haberi, & cenſeri debere volumus,* ac eodem §. 3. 75 Sixti Quinti, ibi, *quod ſi quis contra præſentem noſtram prohibitionem, & interdictum directè, vel indirectè quicquam attentare, aut aliis mandare, vel tranſgreſſoribus adhærere, & facere præſumpſerit etiã ſi Dux &c. extiterit, læſæ maieſtatis reatum verum, ac nulla Iuris, aut hominis fictione confictum crimen incurriſſe, & eiuſdem Eccleſiæ Romanæ rebellem fore, & eſſe &c. ſtatuimus, decernimus, & declaramus.*

Indè verò liquet iuſtè pœnam rebel- 5
lionis Duci comminatam fuiſſe in dictis Monitorijs, tàm reſpectu Iuris communis, quia non paruit Summo Pontifici in concernentibus ſtatum, & ſecuritatem ditionis Eccleſiæ, tantumue abeſt, quod gentes illius admiſerit, quinimò conſtat iuſſiſſe illis hoſtiliter reſiſti, quàm ratione dictarum Conſtitutionum, dum eis expreſsè contrauenit, vt latè probatum fuit in eodem primo articulo. Quarè non ſine mala ratione ab Authore inſeruntur verba *Leonardi inter conſil. Alberti Bru-* 6
ni lib. 1. conſ. 114. num. 314. loquentis de Duce Vrbini reſpectu Leonis Decimi, cum ratio cauſæ publicæ omnibus notæ, & in actis etiam ad maiorem cautelam probatæ non ſinat hoc caſu illam poſſe referri ad priuatam aſſertæ inimicitiæ, quia in claris ceſſat ſuſpicio.

Nec vera facti ſeries patitur conuenire 7
vllam ex quatuor declarationibus ab eo adductis; Non primam quod contumax inobediendo præceptis ſui Principis non ſit rebellis, quando ſunt materialiter iniuſta, quia prædictis ineſt ſumma Iuſtitia firmata in primo articulo. Minus alteram

quando vocatur ad locũm nõ tutum, non ſolum quia Titulus aſſertæ inimicitiæ fratrum Barberinorum eſt confictus, ſed ampliùs quia dicta exceptio non liberat à comparitione coram Iudice loci commiſſi delicti, nec iuuat, ſtante ſaluo conductu oblato ſub fide Principis, quã prorſus inuerisſimile eſt lædere voluiſſe eos, quibus Dux ſine cauſa Inimicorum nomen impingit: Nec tertiam quando ſubeſt aliqua iuſta cauſa, quæ poſſit eum veriſimiliter excuſare à dolo, & Principis contemptu; Nam fruſtrà hic queritur, dum certa ſunt teſtimonia, quod Dux voluit armis reſiſti gentibus Summi Põtificis; Nec denique vltimam quando Dominus directus ſine cauſæ cognitione faceret præceptum Vaſſallo; nam prætermiſſo, quod hic illa præceſſit, vt liquet ex Actis. Reſpondetur notorium fuiſſe in facto, quod Dux fecerat munitiones inſolitas, & milites cum armis, & Annona coegerat; ac etiam in Iure quod hæc minimè facere poterat ex dictis in primo articulo, quo caſu locus eſt doctrinæ *Iacobi de Beluiſo, & Baldi in cap. 1. num. 25. verſ. ſecundum Iacobum de Beluiſo de allo-*
8 *dijs*, dicentium, quod quando Dominus directus habet iuriſdictionem, & inobedientia Vaſſalli eſt notoria, tunc ille poteſt propria authoritate feudum tollere Vaſſallo, & Fiſcum mittere in poſſeſsionem:

Fruſtrà verò exclamatur in fine, quod Ducis Inimici peruenerint ad gradum priuandi eius filios, & deſcendentes ſucceſſione feudorum derogando ſubſtitutionibus contentis in contractibus initis cum Camera, & inueſtituris conciſtorialibus expreſsè loquentibus de crimine læſæ maieſtatis; Hoc enim vltra diſpoſitionem Iuris communis in crimine læſæ 9
maieſtatis *ad text. in l. quiſquis 5. §. filijs, vbi notatur C. ad leg. Iul. Maieſt.* expreſsè ſtatuit Sixtus Quintus dicta Conſtit. 75. ſub §. 3. ibi, *Ducatus verò, Dominia &c. Fiſco noſtro, & Cameræ prædictæ ipſo facto abſque aliqua declaratione etiam in præiudicium filiorum, & aliorum deſcendentium in Inueſtituris, conceſſionibus, ſeù aliis diſpoſitionibus comprehenſorum in omnibus, & per omnia, perindè ac ſi per lapſum temporis illorum conceſſionis, & finitam lineam ad ipſam Cameram deuoluta eſſent, confiſcamus, & applicamus* cum ampliſsima derogatione adiecta in §. 5.

Digitized by Google